

- 1 Melchioris Schmidij diss. de Linguis sacris. 1685.  
 2. ioh: Bernh: Hahn diss. de appellatione Lingue  
     Hebreæ, quia dicitur Sancta. 1712.  
 3. ioh: Henr: Hönek diss. de vocis quam Hebrei vocant  
     filia. 1673.  
 4. Valent: friderici diss. De filia votis. 1670.  
 5. Henr: Liedert diss. De mandato scribendi novum testam:  
     1710.  
 6. ioh: Henr: Lyr: diss. De usu Lingue Syriae 1726.  
 7. ejusdem De historia Lingue Sanctæ. 1726.  
 8. Mich: Ghercke diss. de fama grecæ Lingue. 1716.  
 9. ioh: Bernh: Hahn diss. exhibens decadem observationum  
     philologicarum, e litteratura Graeca, Obs: 1  
 10. ejusdem, de appellatione Lingue Ebraicæ, quia dicitur sancta  
 11. ejusdem, diss. exhibens decadem observationum  
     philologicarum e litteratura orientali. 1715.  
 12. Bernh: von Sanden diss. De Aora, 1709.

EXERCITATIO THEOLOGICA,

**ΛΟΓΩ,**

Æterno & non à Silentio prodeunte,

*Ad Dictum*

B. Ignatii Martyris Epistol. ad Magnesianos,

Quam

DEO AUXILIANTE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO atq[ue] EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,

**DOMINO FRIDERICO  
WILHELMO,**

REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.

VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ INDULTU-

In Regia Prussiæ Academia

SUP: DR: FISHING: L:

RESPONDENS.

*lumijſſe offerte ē conferat*

*intimo omnigenea Proclamatio vero  
rum dilectorum commendationem ac promotionem cum*

EXERCITATIO THEOLOGICA,

**ΛΟΓΩ**,

Æterno & non à Silentio prodeunte,

*Ad dictum*

B. Ignatii Martyris Epistol. ad Magnesianos,

*Quam*

DEO AUXILIANTE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO atq[ue] EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,

**DOMINO FRIDERICO**

**WILHELMO,**

REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.

VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ INDULTU

In Regia Prussiæ Academia

SUB PRÆSIDIO

**BERNHARDI VON SANDEN,**

SS. Theol. Doct. & Prof. Prim. h.t. Decani, nec non Concio-  
natoris Aulici Primarii, Consist. Sambiens. Consiliarii,

*Placida Eruditorum censuræ exponit*

**JOHANNES SCHMIDH.B.**

SS. Theol. & Phil. Stud.

IN AUDITORIO MAJORI, H. C.

Anno MDCCIX. d. Decembr.

---

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

CELEBERRIMÆ  
ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ  
PATRIBUS CONSCRIPTIS,  
MAGNIFICO  
DOMINO  
PRO-RECTORI,  
VIRIS  
MAXIME REVERENDIS, CONSUL-  
TISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS, EXCELLEN-  
TISSIMIS, AMPLISSIMIS  
DOMINIS  
SENATORIBUS  
Professoribus undiquaque celebratissimis,  
MAGNIS STUDIORUM MEORUM PATRONIS ATQ; PROMOTORIBUS  
SUBMISSE DEVENERANDIS,  
ut &  
NOBILISSIMO & CONSULTISSIMO  
EORUNDEM  
DOMINO SECRETARIO,

Hanc Exercitationem Theologiam Sæpius

CELEBERRIMÆ  
ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ  
PATRIBUS CONSCRIPTIS,  
MAGNIFICO  
DOMINO  
PRO-RECTORI,  
VIRIS  
MAXIME REVERENDIS, CONSUL-  
TISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS, EXCELLEN-  
TISSIMIS, AMPLISSIMIS  
DOMINIS  
SENATORIBUS  
Professoribus undiquaque celebratissimis,  
MAGNIS STUDIORUM MEORUM PATRONIS ATQ. PROMOTORIBUS  
SUBMISSE DEVENERANDIS,  
Ut &  
NOBILISSIMO & CONSULTISSIMO  
FORUNDEM  
DOMINO SECRETARIO,

Hanc Exercitationem Theologicam in sui studiorumq; suo-  
rum ulteriorem commendationem ac promotionem cum  
intimo omnigenæ Prosperitatis voto

submisæ offert & consecrat  
RESPONDENS.

**E**lli DEi æternam ex Patris substantia factam generationem Scriptura Sacra variis declarat nominibus, quæ à Theologis Notiones sive Characteres Secundæ Trinitatis Personæ vulgò dicuntur. Ambrosius Lib. 2. de fide ad Gratianum in proœmio Tom. IV. Oper. p. 130. trifariam ea distingvit: *Sunt nomina*, inquit, *quædam*, *que evidenter proprietatem Deitatis ostendunt*, *sunt quæ similitudinem Patris & Filii*, *sunt etiam*, *que perspicuum divinæ Majestatis exprimunt unitatem*. *Proprietatis itaque sunt*, *Generatio*, *Deus*, *Filius*, *Verbum*: *Similitudinis*, *Splendor*, *Character*, *Speculum*, *Imago*: *Unitatis æterna*, *Sapientia*, *Virtus*, *Veritas*, *Vita*. *Hæc indicia*, *pergit*, *ita DEi filium signant*, *ut ex his sempiternum etiam Patrem esse cognoscas*, *nec ab eo Filium discrepantem*. Ex eoenim quæ generatio, ex sempiterno DEus, ex Patre Filius, ex DEo Verbum, Splendor glorie, character substantie, speculum DEi, majestatis imago, de bono bonitas, de sapiente sapientia, de fortis virtus, de vero veritas, de vivente Vita. Concordant igitur Patris & Filii indicia, quibus non discrepare inter se, sed unus majestatis esse nemo dubitaverit. Duodecim hæc nomina laudatus Antistes Mediolanensis scitè & bellè comparat duodecim lapidibus pretiosis fundamenti cœlestis Hierosolymæ Apoc. XXI, 19. 20. & gemmis duodecim in pectorali Summi Pontificis. Exod. XXVIII, 15. & seqv. hisce verbis: *His duodecim tanquam lapidibus pretiosis fidei columna consurgit*. *Hi sunt pretiosissimi lapides*, *quibus S. Aron*, *illius utiq. qui Christi figuram gesit*, *vestimentum intexitur*, *circumdati aurô & sculpi de nominibus filiorum Israël*, *duodecim lapides sibi coherentes*. *Nam si eos aliquis separaret aut secernat*, *omnis fidei structura dissolvitur*. Maximè inter lapides illos prominet & inter hastæ gemmas Pon-

Pontificis nostri æterni JEsu Christi nitet illa, quæ nomen τὸ  
Αὐτοῦ seu Verbi præ se fert.

§. II.

Nomine hoc Salvatorem nostrum, Unigenitum DEI Filium, verum & consubstantialem DEum, Omnipotentem Creatorem Universi designat Apostolus & Evangelista, Johannes, qui edisserente Chrysostomo Serm. de Sigillis Librorum, Tom. VI. in Vet. Testament. col. 148. postquam reliqui Evangelistæ Oeconomiam JESU CHRISTI instar fulgoris edidissent, Theologiam detinavit. Enī ἀρχῇ, inquit in exordio sui Evangelii, ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν τὸν Γεόν, καὶ Ἰησὸς ἦν ὁ λόγος. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEum, & DEus erat Verbum. Et v. 14. ὁ λόγος ὅπερ ἐγένετο, Verbum caro factum est. Nec non in Exordio Epistolæ primæ, scribens: Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus noſtre contrebant, τοῦτο ἐλόγιον τῆς ζωῆς, de Verbo Vite, annunciamus vobis. Et in eadem Epistola Cap. V. v. 7. in loco illo maximè classico: οἱ τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυρῶντες ἐν τῷ οὐρανῷ, οἱ Πατὴρ, καὶ ὁ λόγος, καὶ τὸ ἄγαλμα πνεύμα, καὶ ἡποὺ οἱ τρεῖς ἐν εστί. Tres sunt qui testimonium perhibent in caelo, Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres unum sunt. Similiter in Apocalypsi majeſtaticam apparitionem Filii DEi describens, nomen ejus dicit vocari ὁ λόγος τὸ Ιησὸς Verbum DEi, Cap. XIX. v. 13. Quod enim in hisce locis non de Verbo externo atque evanescente sermone, sed de λόγῳ ψευδοτηνῷ, Filio Dei loquatur Johannes, nullum est dubium. Num in hoc verò Lucam, qui in exordio Evangelii Apostolorum sub nomine Ministrorum τὸ λόγιον meminit & Paulum in Epist. ad Hebraeos Cap. IV. v. 12. scribentem ζωὴν ὁ λόγος τὸ Ιησὸς, Vivum est Verbum DEi, habeat οὐαψίδας meritò dubitatur, licet plurimi inter Veteres & inter recentiores quidam, citati à Svicero in Thesauro sub voce λόγος.

p. m. 254. & hæc dicta non ad Verbum prædicatum , sed sub-  
stantiale referant. 3

### §. III.

Procul dubio nota erat illa Filii Dei & Messia appellatio, Judæis & Gentibus illò tempore , quô Johannes scribebat. Judæos latere non poterat indigitari voce מִמְרָא רַוי Verbi Dei in Paraphrasi Chaldaica Deum ipsum plurimis in locis , in primis in relatione ad creationem mundi, e. g. Esa. Cap. XLV. v. 12. Jerem. Cap. XXVII. v. 5. Esa. Cap. XLVIII. v. 13. & maximè perspicuè Gen. Cap. I. v. 27. in Targum Hierololym. Verbum Domini creavit hominem , & qvoties de D E O nobiscum loquente , nobis auxiliante , aut nobiscum versante sermo est , ut Gen. Cap. III. v. 8. & 9. Gen. Cap. XXI. v. 20. 22. Gen. Cap. XX. v. 3. in primis Hof. Cap. I. v. 7. ubi verba textus : Ego servabo eos , per Jehovam DEum ipsorum , Targum Jonathanis reddidit: Ego servabo eos , per Verbum DEi Domini sui. Similiter Angelum Dei, Ducentorem Populi Israëlitici Exod. Cap. XXXIII. v. 15. Prophetam excitandum è fratribus , Mosi parem Deut Cap. XVIII. v. 15. & seq. Dominum cui Dominus dixerat: Sede à Dextris meis. Psalm. CX. v. 1. sive Messiam , eadem phras , designari , quod ipsum egregiè ex hisce & aliis demonstravit in Disputatione A. 1682. hic habita Excellentissimus Dn. M. David Blæsing , nunc Mathematum Professor , de Verbo DEi occasione phraseos Chaldaicæ מִמְרָא sub Præsidio Excellentissimi Dn. M. Laurentii Wegeri , Lingv. Orient. Professore. Ex quibus patet frustra illos esse , qui hanc phrasin Targumicam ut eludant hæc loca , putant nihil aliud innuere , qvām ἀυτὸν sive ipsum DEum. Quis enim non videt , si loca citata evolvat eum modum loquendi hic locum habere non posse. Vid. Bullus in Defens. Fidei Nicænae Sect. I. p. 27. Jam quod Chaldaea Paraphrasis vocat מִמְרָא Hellenistis est λόγος . ut apparet ex Philone Judæo , qui scri-

4  
psit antè Johannem, & hunc ordinem in divinitate constituit,  
primò πατέρα τῶν ἥλων, deinde δεκτέραν, οἱ δὲν ἐκεῖνοι λόγοι,  
Quæst. & Solut. quem vocat ὁρθὸν θεόν λόγον, προπέντονον ιόν.  
Lib. de Agricult. Vid. & alia ejusdem loca citata apud Pearsonum in Artic. II. Symb. Apost. p. m. 208. qui etiam Auto-  
rem Libri Sapientiæ laudat & Syracidem per λόγον DEum Cre-  
atorem indigitando Sap. Cap. XVIII. v. 15. Syracid. Cap.  
XLIII. 6. Imò LXX. vocem יְהוָה nomen DEi Omnipoten-  
tis mutavere in λόγον Ezech. Cap. I. v. 24. בָּקָר שְׂרֵי juxta  
hosce Φανῆ τὸ λόγον ut Hieronymus ad h. l. observat. Ac pro-  
pterea Celsus scribens sub persona Judæi, fatetur λόγον esse  
Filium DEi apud Origenem Lib. 2. adversus Cellum. De  
Philosophis Gentilium ita Laetantius Lib. IV. de Sapientia c. 9.  
Verbum, inquit, divinum ne Philosophi quidem ignorarunt. Si-  
quidem Zeno Naturæ dispositorem atq. opificem universitatis λόγον  
prædicat: Quem & Fatum & Necesitatem rerum & Deum &  
animam Jovis nuncupat. Trismegistus qui veritatem penè uni-  
versam nescio quomodo investigavit virtutem Majestatemq. Verbi  
sæpe descripsit. Idem de Trismegisto testatur cap. 27. qvod  
multa de DEo Patre omnium & de Filio locutus sit, quæ divi-  
nis contineantur arcanis. Et Augustinus Lib. de quinque hæ-  
ref. c. 3. p. 36. Tom. VI. Oper. Scripsit, inquit, Mercurius li-  
brum, qui λόγος τίλεται. Verbum perfectum appellatur, magnum  
nomen libri hujus, quia magnus est, de quo scriptus est liber. Et,  
Audiamus, pergit, quid loquatur Mercurius de Verbo perfecto:  
Dominus, inquit, & omnium factor Deorum, secundum fecit Do-  
minum, dilexit tanquam unigenitum. Nota sunt præterea ex lau-  
dati Hormetis Pimandro hæc: Unus DEus genuit unicum filium  
& in se amorem reflectens produxit Spiritum Sanctum. Ibidem:  
Mens DEus, mens verò germen Verbum lucens, DEi filius, Ver-  
bum sanctum supervenit Naturæ-Tellus & aqua movebantur pro-

5

pter *Verbum spirituale*, quod desuper ferebatur, ut audiri posset.  
Imò indè Augustinus in Platonicorum libris totum se hoc pro-  
œmum Evangelii Johannis si non iisdem verbis, tamen eo-  
dem sensu reperiisse testatur Lib. VII. Confess. cap. 9. p. 128.  
Tom. I. Oper. Theodoreetus Lib. 2. de Curand. Græc. Af-  
fet. p. 500. Tom. IV. Oper. & Plutarchum & Plotinum & A-  
melium proœmium Johannis admiratos scribit. Eusebius  
quoque Librō de Præparat. Evangel. Lib. XI. Cap. 18. p. 540.  
Numenium Philosophum Platonicum Johanni Christum λέ-  
γον vocantiaſſensum præbuſſe scribit. vid. Cyrillus Alex.  
Lib. VIII. contra Julianum, & ex recentioribus August. Steu-  
chus Eugubinus Lib. I. de perenni Philosophia cap. 26. & seqv.  
Necnon Tob. Pfannerus in Systemate Theol. Gentilis Purio-  
ris Cap. III, ubi varia PP. testimonia hanc in rem producit &  
examinat. Unde verò in tanta Mysteriorum divinorum ca-  
ligine id lucis habuerint Gentiles difficile est judicare. Cer-  
tum est ex lumine Naturæ nihil de hoc Mysterio cognovisse  
Gentiles, quodsi verò cum Mornæo de Verit. Relig. Christ.  
cap. 6. & cum aliis virtis doctis dicas, accepisse hæc Scriptores  
Ethnici ex Hebraeorum doctrina quæ summis Philosophis  
non fuerit incognita, ceudoctè monet & dilucidè ostendit Ex-  
cellentissimus Dn. M. Paulus Rabe, Logices & Metaphysics  
Professor in Disput. pro loco Prof. Græcæ, de Voce Λόγος,  
quam Ao. 1686. sub ejusdem Præſidio habui §. 16 p. 57. & seqv.  
Difficile tamen est creditu, quomodo dogma, ut inquit modò lau-  
datus Pfannerus, tantis tenbris etiam apud Hebreos involatum,  
Ethnicis ita innotuerit, ut explicatiū ferē de eo locuti sint iis, à qui-  
bus lux hec, subobscura quidem, primū orbi illata est. De iis,  
qui post Christinatales, ejusque doctrinam per omnes terras  
diffusam, vixere, quos inter Proclus, Jamblichus, Amelius,  
Porphyrius omniumque præstantissimus Plotinus, facile  
suspi-

suspiciemur ad eos quoque arcani hujus notitiam penetrasse, cui aptavere forsan quæ apud majores, Platонem præsertim, ei similia reperiebant. Non inscītē ergò Ludovicus Vives de Verit. Fidei Christ. Lib. II. Tit. de Trinitate: *Plato & alii omnes, si quid de Filio dicebant, loquebantur magis, quam quid loquerentur, sciebant & intelligebant.* Cognitio enim Mysteriū hujus doctrinae est non Gentilitæ, sed Christianæ. Nam & ipsos hoc Mysterium non intellexisse nec sanctè tractasse, vel ex hoc patet, quod Plotinus Platonicae doctrinæ summam expōnens Ennead. III. 8, & alibi sāpē Patrem summum *τὸν νοέαν* *τὸν νόηστρον* Intellectu seu Filio superiore & priorem afferuerit. Unde natum Proverbium, aut Platonem Arianizare, aut Arium Platonizare. Marsilius Ficinus in Compendio Timaei cap. 9. Platonici, inquit, antè hunc mundum existimant ab ipsa bonitate divina mundum alterum proximè emanare, non visibilem, sed intelligibilem, exemplaria omnium continentem, quem divinum intellectum nominant & optimum boni filium. Et Thomas part. I. qv. 32. artic. I. In libro, scribit, Platonorum invenitur: *In Principio erat Verbum: Non secundum quod Verbum significat personam genitam in divinis: sed secundum quod per Verbum intelligitur ratio idealis: per quam Deus omnia condidit.* Ultius ergò Johannes divinus Apostolus, Evangelista & Prophetæ hac λόγῳ appellatione Judæis & Gentibus notâ, sed in longè priore & diviniore sensu. Judæi enim etsi venturum Messiam Verbum DEI nominarent, non tamen eundem Verbum Deum credebat, sed unâ cum Ebionæis, contra quos dicitur scripsisse suum Evangelium, πλωχῶν τοπειας abjecte & humiliiter de Christo sentiebant juxta Eusebium Lib. III. H.E. cap. 27. eundem nudum hominem, qui non ut spirituali sed temporali miseriæ ipsorum succurreret, apparitus esset, putabant. Iis ergò declarare volebat, Verbum hoc, quod annunciat, à principio suissimum

*apud Deum, & Deum esse, & per hoc Verbum omnia esse facta, revocando in memoriam Exordium Mosis, qui dixerat: In principio Deum dicendo creasse Cælum & terram & Davidis sui clariorem ἡγεμόνα hujus Oraculi, quæ ita sonat: Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum. Psal. XXXIII. v. 6. Nec non illud: Mittere Verbum suum & sanabit eos. Ps. CVII. v. 20. Gentiles verò ad altiores & sanctiores pariter de Verbo, de quo Philosophi, Sybillæ & Oracula ipsis varia, sed parùm sana narraverant & dixerant, cogitationes provocare volebat Johannes, & veram divinamque de hoc Verbo doctrinam proponere. Quarè scitè Chrysostomus hom. I. in Joh. Quemadmodumbi, inquit, qui in Euriposunt, hinc illuc jacantur: Itidem Philosophi nunquam sibi constant, ut potè incertâ & fragili sententiâ omnia loquentes. Verum hic Piscator, (Johannes) omnia absq[ue] ulla dubitatione differens, tanquam Petri innixus nulla ex parte titubat.*

#### §. IV.

Cur autem Johannes secundæ Trinitatis personæ appellationem τὸ λόγον tribuat, & quid eadem designet, meritò queritur. Judæos & Philonem totum suum λόγον ad Creatiōnem Mundi retulisse ex supra citatis testimoniis constat, & idem de hoc λόγῳ credidisse quod Paulus Samosatenus Judaizans & Photinus hostis Deitatis Christi, omnino veresimile. Sic enim de illo Leontius de Sectis Act. III. p. 436. Non dixit λόγον per se subsistens in Christo fuisse, sed λόγον dixit esse κέλευσιν τοῦ πρεστάτη μα jussum & mandatum: h.e. iusgit Deus per hominem illud, quod volebat & faciebat. De hoc Zonaras ad Can. I. Concilii Constantinop. p. 68. Λόγος πεφοειδες, τοῦ Θεοῦ π πρεστάτη μα τοῦ Θεοῦ: Verbum externum & diuinum quoddam mandatum subserviens Deo ad productionem to-  
tius universi, instar instrumenti mechanici. Imò teste Hilario  
in

8

in Libro de Synodis hæretici istius temporis, DEi Filium Verbum duntaxat dixerunt prolativum & insubstantiæ vocis incorporalem sonum. Vid. Epiph. hæref. 73. Tom. I. Oper. p. 844. & seqq. de Paulo Samosateno & Marcello. Itaque Verbum DEo tribuebant, sed ἀρχὴ Θεοῦ, quō Deus in Creatione & manifestatione suæ voluntatis usus sit; Deum tamen & divinam personam hoc Verbum esse negabant. Indè Alogiani ab Augustino Lib. de heresibus cap. 30. Tom. VI. Oper. col. 18. & Ἀλόγοι & Αλόγοι ab Epiphanio & aliis dicti: Non quasi omnino negarent esse Dei Verbum, cùm Deus esset locutus: Sed quod negarent λόγον illum esse θεόν, atq; ex hoc capite Johannis Evangelium rejicerent, cœu optimè Lambertus Danæus ad hanc Augustini hæresin annotavit. p. 161, ex edit. Helmstad. A. 1673. Johannes autem Verbum intelligit τὸν αὐτὸν seu στοιχὸν substantiale, ut sanctissimum & ineffabilem ejus à Patre generationem ex analogia Verbi adumbraret. Sic rationem hujus appellationis declarat Gregorius Nazianzenus propter excellentissimam in rebus divinis scientiam, nomine Theologi inter antiquos clarus. Ita verò Orat. XXXVI. p. 590. Λόγος dicitur Filius DEi, quia ita se habet ad Patrem, ut λόγος ad mentem, non modo propter generationem passionis omnis expertem, verū etiam propter conjunctionem ipsius cum Patre. Fortasse etiam, quia eodem modō se cum Patre habet, ut definitio ad definitum. Nam hoc quoque λόγος dicitur. Qui enim Filiū cognovit Patrem quoq; cognovit, (Job. XIV.) ac brevis & compendiosa facilisq; paternæ naturæ declaratio est Filius. Omne enim quod genitum est, genitorem suum tacitā quadam voce definit. Sic sc̄ptilius philosophatur summus Theologus, quem sic explicat Elias Cretensis. Ut definitio naturam rei declarat, sic & subsistens DEi Verbum, naturam Patris demonstrat. Addit laudatus Theologus & aliam rationem appellationis:

Quod



Quod si quis etiam, quia rebus omnibus insit, λόγον vocari contentat à ratione non aberrabit. Quid enim est, quod non λόγῳ conditum sit. Subscribunt huic Theologo & alii Patres, qui rationes reddunt hujus appellationis & comparationem inter λόγον & ejus generationem ex mente & Filium DEi ejusque generationem ex Patre instituunt, infra citandi. Et ex hisce Damascenus λόγον sic describit, Lib. I. Fidei Orthodoxæ:

λόγος ἐστι καὶ ἡ φύσις τὸν μήντος, καθ' ἣν πινεῖται καὶ νοεῖται, καὶ λογίζεται εἰναι φῶς αὐτὸν ἢν καὶ αἴπανυσσομά. λόγος πάλιν ἐστιν ὁ ἀριδιάθετος, ὁ ἐν καρδίᾳ λαλέμενος. καὶ πάλιν λόγος ἐστιν ἄγγελος νοήματος, ὁ μὲν οὐδὲς λόγος, ὁ τούτος καὶ ἐντοπιστός.

Verbum est naturalis mentis motio, secundum quam moveatur, intelligit & cogitat. Veluti lux ipsius existens atq[ue] splendor. Verbum rursus est quod internum & in corde promittur. Et iterum Verbum est nuncius intelligentiae. Igitur Deus est substantiale Verbum, & in propria subsistens hypostasi, Cap. XVIII. & Cap. IX. Indè patet quid de eorum sententia sentiendum sit, qui Verbum in divinis *μεταφορικῶς* saltem non ἐπωδῶς accipi volunt. Quanquam enim, verba sunt D. Joh. Dorschæi in Pentadecade Dissert. Theolog. Disp. II. super Ps. II. 7. §. 25. Verbum manifestans ratione intrinsecæ formationis consideratum non nisi metaphoricè DEo attributatur, tamen Verbum manifestandum, sublimis ille & incomprehensibilis λόγος propriè adhuc λόγος & Verbum dicitur, quia ab eterno à DEo Patre procedens hypostaticè in DEo est. Et ut sapientia genita propriè in divinis dicitur Proverb. VIII. 22. Ita Verbum genitum non nisi propriè in divinis considerandum est. Presertim quia nihil est in ratione Verbi, si præcisè & abstractè consideretur, quod aliquam imperfectionem involvatur. De ratione autem Verbi primariè est, quod à principio aliquo suam originem habet. Verbum enim propriè acceptum sine parentia originis concipi nequit. Verbum igitur egressionem ab ali-

<sup>2</sup>  
quo includit: Itaq. secunda Sacrosancte Trinitatis Persona propriæ  
Verbum dicitur. H. J.

§. V.

Quandoquidem ergò Ignatius vulgò Theóphorus datus, Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus & sub Trajano Martyr, diu cum Apostolis Domini conversatus fuit & ab iisdem dogmata Christiana tanquam eorundem genuinus discipulus hausit, non solum cum iisdem eandem sanctissimam de vera Christi Deitate Doctrinam, acropolin illam salutis pectore, igne amoris Salvatoris sui flagrante tenuit, sed & cum iisdem similia locutus fuit. Secus ac Pseudo-Apostoli & Apostolici, de quibus obtinebat illud, quod vulgò de Hæreticis dici solet. Θυσια μηρος λαλενται, ανόμια ἡ Φενενθαι. Similia loquuntur, dissimilia verò sentinent. Exstant variae ejus Epistolæ, egregia & facilè prima antiquitatis λειψανα, de quarum autoritate & fide varia prostant Criticorum judicia. Quindecim earum sub ejus nomine circumferuntur, quarum ultimæ tres Latinò tantum Idiomate cæteræ Græcō quoque. Alii sex, scilicet 1. ad Ephesios, 2. Magnesianos, 3. Trallianos, 4. Romanos, 5. Philadelphenos, 6. Smyrnæos, alii addendo illam ad Polycarpum septem earum pro genuinis habent. Valentinus Pacæus primū eas publicavit A. 1557. cuius editionem Anno sequenti Gvilhelmus Morelius Parisiis expressit, seqvuti postea alii, Grynaeus, Maestræus, Vairlenius, Vedelius & tandem Jacobus Usserius Archi-Episcopus Armachanus, qui Praefat. in Ignatii Epistolas interpolatas hæcce varias editiones recenset, & Veteris quoque Vulgatae Interpretationis præcipuas editiones indicat. Ipse verò Usserius primò Oxoniæ A. 1644. Ignatii Epistolas edidit, cum Vetera Vulgata Interpretatione latina & alia antiqua versione à se in Anglia reperta, & in græco textu minio notavit, qua à ve-

vetero Latino Interpretate non agnosceruntur. Paulò post Isaacus Vossius repertò in Bibliotheca Medicea Codice Græcō, Latinæ versioni ab Ussorio publicatae non absimili, editionem ejus maturavit Amstelodami A. 1646. De quā Usserius gavisus valdè, quod spe suā non esset frustratus, inveniendi exemplar Græcum, quod cum Latina à se inventa Versione concordaret, & suam sententiam de interpolatione confirmaret, ut videre est in Præfat. in sinceras Ignatii Epistolas. Tandem J. B. Cotelerius inter Opera SS. Patrum qui temporibus Apostolicis floruerunt, Volumine secundō Ignatii Epistolas cum suis versionibus notis suis & Vossii illustratas, cum Martyrio Ignatii & præter alia cum Vindiciis Epistolarum Ignatii scriptis à Joh. Pearsonio Cantabrigiæ A. 1672. edidit primum Lutetiæ Parisiorum Ao. 1672. & indē Antwerpia Ao. 1698. Qvamprimum Usserii & Vossii Editiones lucem aspexerunt, in duo quasi agmina divisi sunt Critici Reformatæ Religioni addicti. Pars enim cum editoribus faciebat, vel cum Usserio sex, vel cum Vossio septem pro genuinis agnoscebat, Rivetus, Seldenus, Hammondus, Pearsonius, Wilhelmus Cave &c. Verū altera Criticorum pars illas quoque sex aut septem spurias & post Ignatii atatem confictas judicabat, in qvibus Claudio Salmasius & David Blondellus primas teneant: De qvorum dissidiis & altercationibus eorundemque causa videatur Wilhelmus Ernestus Tenzelius in Exercit. Selectis ed. Lipsiæ & Francof. A. 1692. Exercit. III. § 7. Inter eos, qui Pontificiorum seqvuntur castra, et si antè hasce Editiones Usserianas & Vossianas plerique Baronium & Bellarminum item Passevinum secuti omnes græcas XII. Epistolas pro genuinis haberent, post cognitas tamen hasce Editiones, aliqui quidem easdem, quod ab Hæreticis ex ipsorum opinione essent editæ, pro suspectis habuere, iisque suas corruptas

prætulere, alii tamen proprius ad Usserii & Vossii sententiam accessere, ut Dionyius Petavius, Ph. Labbeus, Natalis Alexander, Lud. Ellies du Pin, in primis Cotelerius supra laudatus, cuius sententiam cum sua planè conspirare gaudet Pearsonius in fine Præfat. Vindic. prout modò adductus Tentzelius hæc latius exponit, Exercit citata §. 8. Nostræ Ecclesiæ Doctores etiam post Usserii & Vossii Editiones, non quidem, verba sunt Tentzelii §. 9 omnem prioribus septem Ignatianis *q̄n nō m̄ta* derogant, ab omni tamen mutilatione aut interpolatione haud immunes habent, maximè ex haec causa, quod ratio emendandi texum Græcum juxta Latinam Versionem, non adeò tuta tanto ve negotio congrua videatur, cùm versio illa recentior sit, qvippe circa confinia sexti septimive Seculi conjectante ipso Usserio, confecta, nec tantâ fide & curâ græcum exprimat textum, qvanta in his monumentis requiritur, ut idem & Pearsonius passim observant: Denique quod maximum est, editionem Ignatianarum non genuinam, sed interpolatam spuriisque Epistolis auctam sequatur. Neq; enim, pergit, ubiq; ipsi convenit cum Veterum Patrum, Theodoreti in primis allegatis, fatente in notis plus semel Vossio, quod sancitum maximum affert præjudicium. Præterea monet quædam ab antiquis Ignatio tributa in editione Vossiana frustra qvarri, & Vossium, similiter Usserium vice plus simplici fateri nec suos Codices ab omni corruptione liberos se deprehendisse. Itaque Tentzelius nihil pro Ignatiano haberi vult, nisi qvod à Patribus priorum quatuor post martyrium Ignatii Seculorum sanctissimo viro tribuitur. Cùm autem qui sequentibus vixerunt atque non habuerint amplius germanas purasq; Ignatii Epistolas, sed varie interpolatas, prout ostendit Usserius, eatenus tamen tanquam verorum Ignatii verborum testes admitti posse, qvatenus cum antiquioribus illis aliquo modò con-

consentient. Quicquid verò sit de harum Epistolarum  
γνωστόν, Huius tamen, quod præ manibus est, dicto, autorita-  
tem nemo facile derogaverit, aut ostendere poterit quod  
id ipsum aut non sapiat stylum Ignatii, aut quod à scopo, quem  
habebat in suis scriptis, alienum sit.

## S. VI.

Verba verò Ignatii, quæ nostram jam exercebunt in-  
dustriam, haec sunt in Epistola ad Magnesianos ex Edit. Cote-  
lierii Antwerp. p. 19. n. VIII. Ὡς εἰς θεὸς δὲν ὁ Φανερώσας ἐαυτὸν  
Ἄλιοι ιησοῦς χριστὸς τὸ γένος αὐτοῦ, ὃς δὲν αὐτὸς λόγος αἰδίος, σὸν λόπον ση-  
γῆς προελθὼν, ὃς καὶ πάντα ἐνηρέστην τῷ πειθαντὶ αὐτοῦ. Quod  
unus DEus est, qui se ipsum manifestavit per IESUM Christum,  
Filium suum, qui est Verbum ejus aeternum, non à silentio progre-  
diens; quippe in omnibus ei, qui ipsum miserat complacuit. Præ-  
clara hæc est & Apostolica de Salvatore nostro confessio, de  
quo vult πληνοφορητῆνας τὰς ἀπειθεντας, certos reddi incredulos.  
Conspirata cum testimoniosis divinis, scriptis ab ipsis Aposto-  
lis. Sic enim ipse Salvator ad Patrem apud Johannem: Hæc  
est Vita Eterna, ut cognoscant Te solum DEum verum, & quem  
missisti IESUM Christum. Joh. XVII. 2. Et Johannes de eodem:  
DEum nemo vidit unquam, unigenitus filius, qui est in sinu Patris,  
ipse enarravit Joh. 1. 18. Conf. Joh. XIV. ii. & seqv. XVI. 5.  
&c. Sic quoque de eodem vox Patris de caelo: Hic est filius  
meus dilectus, in quo mihi complacui, Matth. III. 17. XVII. 5.  
Interpolator Epistolarum Ignatii, de quo vid. Usserius in-  
Annotat. ed. cum Epist. hisce interpolatis Oxoniæ Ao. 1644.  
Cap. 3. & 4. pro more suo breviter à Martyre dicta longiori  
præ explicatiis & ornatiis tradere se judicavit, & ita Dictum  
hoc exhibet: ἐν θεός δὲν ὁ παντοκράτωρ ὁ Φανερώσας ἐαυτὸν Άλιοι  
ιησοῦς χριστὸς τὸ γένος αὐτοῦ, ὃς δὲν αὐτὸς λόγος αἰδίος, αἰώνιος  
ἐγένετο λαλίας ἐράτος Φάνημα, αἷλλ' ἀεργέας θεῖκης ἐστια γεννη-

τὸν παντοκατεύθυντο τὸν πέμψαντα ἀνὴρ. Sic dictum hoc exhibetur græcè in Bibliotheca Magna PP. Tom. XI. p. II. Et ibidem latinè ex versione Vairlenii: *Unus est Deus omnipotens, qui se ipsum manifestavit per Jesum Christum filium suum, qui & ipsius Verbum non pronunciatum sed substantiale. Nec enim est articulati sermonis vox, sed divina efficacia genita essentia, quia omnia grata & placita reddit ei, qui se miserat.* Sic etiam legitur in Edit. Cotelerii supra citata Tom. II. p. 58. & in Edit. priori Usserii, qui verba illa, quæ quasi exegesis priorum adduntur in Græco & latino, εἰς τὸν λαλιὰς ἐνθεόθες φάνησα, εἴλλα' ἐπεγίας θεῖκῆς ἔστια γεννητή: *Non locutio articulatae vocis, sed operatio Deitatis, substantia scilicet genita, in græco minio notavit.* Verum sicut hic Interpolator pro lubitu Autoris verba mutat, nunc phrases obscuriores planè omittit, nunc aliis planioribus exprimit, nunc planissimas aliter refert, nunc Scripturæ loca interserit, nunc sui temporis congettudines infert, nunc suas sententias, aliquando longiores, Ignatio supponit, quod variis exemplis vel ex hac ipsa Epistola ad Magnesianos ostendit Pearsonius in Vindictiis Ignatianis Part. II. Cap. 3. p. m. 27. Ita Paraphrastenpotius agit, quam ut genuina Ignatii verba sistat, quæ rectius ex veteri Latina versione & ad eam emendata Græca Vossii & Usserii deprimuntur. *Exstat in vetustioribus Epistole ad Magnesios Codicibus, ubi Christus dicitur, αὐτὸς λόγος αὐτὸς, τὸν δὲ σὺν τοῖς θεοῖς λέγων, quod antiquissimus Latinus Interpres, (sc. ex duabus MSCtis in Anglia repertis, & ab Ussorio editis) reddit, quiesit Verbum illius eternum, non à silentio progrediens.* Quod confirmat Veterem Lectionem Græcam, τὸν δὲ σὺν τοῖς θεοῖς λέγων. Hanc genuinam existimo, scribit Stephanus le Moyne Theol. Leidensis in Notis & Observat. ad Polycarpi Epit. Iam p. 162. Quanquam ipse l. c. verba superius allata non qui-

quidem interpolationem, sed horum verborum claram & perspicuam interpretationem, quae sensum fundit planum & orthodoxum, esse existimet.

§. VII.

Sic ergo Vir Apostolicus, & Johannis Evangelistæ Discipulus, ut vocatur in Historia Martyrii Ejusdem apud Coteler. Vol. II. p. 161. Apostolicam de Christi æterna ex Patre generatione fidem, rotundis profitetur verbis. Neque solum Phrasij Apostolicâ, quâ etiam utitur in Salute, quam dicit Smyrnæis, initio Epistolæ ad eosdem, & in interpolatis Epistolis passim; Sed & aptissimâ candem declarat, quâ proinde & alii, qui proximè ætatem Ignatii attingunt, leguntur usi. Claruit eodem Seculô Justinus Martyr triginta circiter post martyrium Ignatii annis, & ipse Ἀπόστολος γεννέωμεν παθητής, ut se ipsum vocat Epist. ad Diognetum p. 387. (quod de Viris Apostolicis, quos audiverat, intelligendum, vel de doctrina Apostolica, ut judicat Wilh. Cave in Hist. Liter. Sec. II. in Justino,) De Filio Dei instruit suum Tryphonem Judæum. Aliud, inquit in Dialogo cum eodem p. m. 221. verdetiam vobis, O amici ex sacris literis producam testimonium, primiùs ante creaturas omnes DEum genuisse ex se ðivaciv πρὸ λογοῦν. Virtutem quandam rationalem, que quidem & Gloria Domini à Spiritu S. vocatur, nonnunquam autem Filius, aliquando Sapientia, quandoque Angelus, interdum DEus, aliquando Dominus & Verbum - - His enim nominibus omnibus appellari habet, cum ex paterni consilii & voluntatis administratione, tūm ex voluntaria Patris generatione. Qualem generationem in nobis quoque quodam videmus fieri modo. Verbum enim aliquod proferentes, Verbum gignimus. Non per refectionem, ita ut, quod in nobis proferentibus est, imminuat Verbum. Testimonium autem mihi dicet Verbum Sapientie, quod ipsam DEus iste est à Patre hujus universitate.

versitatis genitus. Proverb. VIII. 22. Qui verbum videlicet & Sapientia & Virtus & Gloria generantis. Et in Apologia pro Christianis p. m. 33. quæ vulgo prima inscribitur: *Filius*, inquit, *DEi Patris*, qui *solan* propriè dicitur *Filius*, λόγος simul cum illo ante Creaturas orruvit καὶ ψυχήντος existens & nascens, quoniam primitus per eum cuncta condidit & ornavit. Tatianus Justini Discipulus in Orat. contra Græcos communem Christianorum sui temporis de Filio DEi sententiam explicans, sic ait: λόγος ὁ ἐπερχόμενος, Verbum igitur illud cælestē, Spiritus à Patre genitus καὶ λόγος εὐ τῆς λογικῆς δυνάμεως ratio ex rationali potentia, ad imitationem sui genitoris fecit hominem immortalitatis imaginem. Et mox λόγος Verbum ante creatos homines, Angelorum erat Conditor. Athenagoras Atheniensis Philosophus & non minus celebris Theologus, secutus procul dubio Aristidem, qui sub habitu Philosophi Athenis Christianam fidem professus & Apologeticum scripsit Adriano, praceptorum, pariter in Apologia quam ad Imperatores M. Aurelium Antoninum, & L. Aurelium Commodum, edidit, ut innocentiam Christianorum declararet & persecutions grassantes sisteret, sc̄epe appellatione τὸ λόγος utitur, & sic de Deo Patre & Filio confitetur. Ne quis ridiculum putet, scribit, Deo Filiū à me attribui. Non enim ut Poëta fabulantur, qui nihil meliores hominibus, Deos suos faciunt, vel de DEo Patre vel de Filiō sentimus. Αλλ' οὐδὲ τὸ θεῖον, λόγος τὸ Πατέρος εἰδέ καὶ ἐργάζεται. Sed Filius DEi est Verbum Patris in Idea & Efficientia. Ab ipso enim & per ipsum facta sunt omnia, cùm Pater & Filius unum sint: Ita ut Filius sit in Patre & Pater in Filiō per unionem & potentiam Spiritus. Νοῦς καὶ λόγος τὸ πατέρος εἰδέ καὶ οὐδείς. Mens & Verbum DEi, Filius DEi est. Pergit explicaturus, quomodo se habeat illa τὸ λόγος generatio Jam si vobis, scribit, qui intellectus subtilitate excellitis, aliūs repetendum videtur, quidnam  
sibi

sibi velit hic DEi Filius, paucis verbis dicam. Primigenia est Patris progenies (quae non ut facta) à principio enim DEUS, qui est mens æterna, ipse in se ipso λόγος h. e. Verbum aut rationem habet, cùm rationalis sit ab æterno, sed ut rerum cunctarum Idea & perfectio foret, egressa est. Et mox, ut λόγος ab omnibus segregaret creaturis: ut DEum assérimus & Filium τὸν λόγον αὐτὸν & Spiritum S. unum secundum potentiam: Patrem, Filium & Spiritum S. Filius enim Patris mens, Verbum & Sapientia est, & ab eodem Spiritus, sicut lumen ab igne profuit. Denique Irenæus, qui in adolescentia sua Polycarpi diligens Auditor fuit, ideoque merito ab Eusebio primam Apostolorum successionem habuisse dicitur. Lib. V. H. E. c. 20. ὁ ἐγγὺς τῶν Αποστόλων γενέθλιον juxta Basiliū M. de Sp. S. c. 29. Tom. II. Oper. p. 358. frequentissimè hāc appellatione Filii DEi æternam designat generationem in scriptis quæ supersunt. Ex multis dabimus pauca loca. Lib. II. contra Hæreses cap. 43. p. m. 199. Non enim infectus es, ô homo, neg, semper coëxistebas Deo, sicut proprium ejus Verbum: Sed propter eminentem bonitatem ejus, nunc initium facturae accipiens, sensim discis à Verbo dispositiones DEI, qui te fecit. Et lib III. Cap. 8. p. 250. Sed nec quicquam ex his, quæ constituta sunt, & in subiectione sunt, comparabitur Verbo DEI, per quem facta sunt omnia, qui est Dominus noster JESUS Christus. Quoniam enim s. Angeli, sive Archangeli, sive Throni, sive Dominationes, ab eo, qui super omnes est DEUS & constituta sunt & facta per Verbum ejus: Johannes quidem sic significavit: Cùm enim dixisset de Verbo DEI, quoniam erat in Patre, adjectit: Omnia per cum facta sunt, & sine eo factum est nihil. Lib. IV. c. 1. p. m. 319. Cùm igitur hoc firmum & constans, neminem alterum Deum & Dominum à Spiritu prædicatum, nisi eum, qui dominatur omnium DEUS, cum Verbo suo &c. & cap. 14. p. 330. Patrem invisibilem & interminabilem, quantum ad nos est, cognoscit

*scit suum ipsum Verbum, & cum sit inenarrabilis, ipse enarrat eum nobis. Rursum autem Verbum suum solum cognoscit Pater &c. & circa finem cap. In omnibus & per omnia unus Deus Pater & unum Verbum & unus Filius & unus Spiritus & una fides & salus omnibus credentibus in eum.* Ib, Cap. XVII, p. 334. Propter hoc Iudei exceperunt a Deo, Verbum DEi non recipientes, sed putantes per se ipsum Patrem sine Verbo, i.e. sine Filio posse cognoscere DEum.

*Hic Filius, qui est Verbum DEi ab initio praestuebat, non indigente Patre Angelis, uti faceret conditionem &c. Et cap 37. p.m. 369. Adeo enim ei, scilicet DEO Patri, semper Verbum & Sapientia Filius & Spiritus, per quos, & in quibus omnia liberè & sponte fecit, & ad quos loquitur, dicens: Faciamus hominem &c. Etsi verò jam Irenæi tempore appellationem τὸ λόγον Valentini similesque Hæretici turpissimè abuterentur & Logon in suis Generationibus & tringita Æonibus Pleromatis scriberent, nihilominus appellationem τὸ λόγον & retinuit & ab Hæreticorum profano ulu & ineptis prorsus speculationibus vindicavit, ab initio hujus Libri cap 1. & consequenter passim.*

### §. VIII.

Aptissima scilicet videbatur hæc appellatione Filii DEi & Johanni Evangelista & Apostolo & Viris Apostolicis vestigia ejusdem legentibus, adeoque & Ignatio, quia eadem, ut jam suprà indicavimus §. IV. ineffabilem & sanctissimam Filii Dei ex Patre generationem adumbrare ipsis fuit visa. Adduximus suprà Gregorium Nazianenum rationem hujus appellationis collocantem in similitudine sive analogia, quam habet Verbum ad secundam Trinitatis personam, consistentem maximè in hoc, quod uti homo Verbum suum in mente atque cogitatione sine passione parit, ut & idem in mente maneat, ita & Filius a Patre genitus sit, sine ulla mutatione & para-

paratione. Cum eodem & aliis passim inter Veteres consen-  
tiunt. Sic enim Athanasius Lib. de Decretis Synodi Nicenæ  
p. 409. hoc ipsum exponit, cùm ait: *Hic est Verbum Patris, in*  
*quo τὸ αὐτὸς νοῦς αὐτοῦ τὸ πατέρος imparabile & imparibile Patris*  
*intelligere possumus. Verbum enim ne hominum quidem per passionem*  
*aut partitionem gignitur, nedum Dei.* Basilius M. in init.  
Evang. Joh. p. 506. *Cur Verbum?* scilicet appellatur, quærit,  
& respondet, ut quod ex mente procedit ostendatur. *Cur Ver-  
bum?* Quia citra passionem genitum est - - - Verbum di-  
xit, ut passionis experientia generationem ostendat & perfectam Filii  
substantiam te doceat & conjunctionem sine tempore Filii ad Pa-  
trem per hoc demonstraret. Nam & Verbum nostrum mentis factus  
sine passione generatur. Neque enim scinditur nec dividitur, nec  
fluit, sed manens tota mens in proprio statu Verbum totum & con-  
tinuum emittit, ac procedens Verbum omnem generantis mentis  
virtutem in se ipso complectitur. Ita & Gregorius Nyssenus  
Orat. IV. contra Eunomium Tom. II. Oper. p. m 534. ratio-  
nem reddens cur Johannes Theologiae mysterium prædicans  
Filiū Dei Verbum dixerit, ait: *Üt μάλιστα πέρι πάθεις απτα-  
γόνοι τὴν ἀγρύπνασον ἀνοίν quām longissimē ab affectione non exer-  
citatum animū abducere, non filium dixit in proœmio, non pa-  
trem, non generationem, ne quis in primis vel Patrem audiens,*  
*ad promptam & notam hujus nominis significationem traheretur,*  
*& filium prædicari cùm didicisset, consuetō more & usitatō signi-  
ficatu hoc nomen animō comprehenderet & in generationis voca-  
bulum procideret, tanquam in lapidem offensionis: Sed*  
*Patris loco Principium nominat; & pro verbo, genitus*  
*est, posuit verbum, erat, & loco filii τὸν λέγον & ait:*  
*In principio erat Verbum. αὐτὸν ὁ τετυις πάθεις; que in-  
hīcē affectio. Ut tuus sermo ex mente predit, neq; affectui me-  
dius intermisceret: Sic etiam illuc Verbum cùm audisti, & ne affe-  
ctum*

etum ex aliquo intelligas, ideo repetitò præconiò ait: Et Verbum  
 erat apud DEum. Non aliter Theodoretus in Epitome Di-  
 vin. Decretorum Cap. II. p. 256. ο λόγος, inquit, ἦν λόγος τὸ  
 αὐτοῦ τῆς γεννήσεος. Verbum imparabilem fuisse generationem  
 significat. Ne enim filium audientes in humanas incideremus co-  
 gitationes & crederemus eòdem quò nos modò genitum fuisse uni-  
 versorum Opificem, Verbum illum appellavit: Sic docens gene-  
 rationem illam ab omni passione liberam fuisse. Nec enim mens  
 nostra, verbum parturiens opus habet coniunctione fæmina, vel se-  
 ctiōnem, fluxionemque aliquam patitur, sed sicut perfecta est,  
 perfectum efficit verbum. Hisce gemina habent Chrysostomus  
 Homil. II. in Joh. Cap. I. Tom. II. p. 23. Cyrillus in  
 Thesauro Assert. 6. Tom. V. Oper. Part. I. p. 43. Isidorus  
 Pelusiota Lib. III. Epist. XVIII. p. 265. & CXL. p. 312. Theodo-  
 rius Ançyræ Episcopus in Actis Ephesinis p. 262. Theophylactus in Cap. I. Joh. & alii passim. Et hæc est prima ra-  
 tio appellationis hujus, ut scilicet per eam generationem Filii  
 ex substantia Patris ab omni humana & corporea segregarent  
 generatione, & docerent ex Johannis Oraculo, eandem  
 ἀνω συνδιερμήσθαι εἰπαμένει, καὶ ἀχρόνως, καὶ ἀρρενῶς καὶ ἀχρε-  
 τῶς ἐκ τοῦ Πατρός, sine coniunctione, sine passione, sine tempore,  
 sine corruptione & inseparabiliter ex Patre factam, ut  
 loquitur Damascenus Lib. I. de Fide Orthodoxa cap. 9. Sed  
 & alia similitudinis Verbi cum λόγῳ divino dari possunt ra-  
 tiones. Ut enim Verbum hominis imago est rei, qua intel-  
 ligitur: Sic Verbum imago Patris quam semetipsum infinità  
 intellectione comprehendens producit. Verbum enim  
 mentis, totam in se continet mentem atque exprimit, cuius est  
 imago. Eòdem modò Verbum totum in se Patrem exprimit  
 & continet. Cur Verbum? querit iterum Basilius M.  
 Homil. XVI. quæ est in Princip. Job. Tom. I. p. 43. Quoniam  
 imago

imago est genitoris, totum in se monstrans genitorem, nullam inde partem deducens & perfecta in se existens: Quemadmodum ferè verbum nostrum quod totius nostre cogitationis imaginem refert. Huc respicit Gregorius Nazianzenus supra cit. cùm dicit: Filium sè ad Patrem habere eòdem modò, ut definitio ad definitum, scilicet quia naturam Patris in se tanquam imagini representat. Vocatur hinc Filius, *Imago Patris, & Character ejus substantia, & splendor glorie Patris*, 2. Corinth. IV. 4. ad Colos. I. 1. Hebr. I. 3. Præterea uti Verbum Creatum ex mente sic oritur, utin eo permaneat, nec ab eo separatum existat, qvamvis ab illa diversum sit: Sic DEi Verbum, quantum propriâ substânit personâ à Patre distinguitur à quo genitus est, qvatenus autem Patris habet substâniatam eamque in se exprimit, unum naturâ cum illo est. Prius sic graphicè describit Fulgentius Lib. III. ad Monimum: *Sic est, ait, Verbum apud DEum, sicut est in mente Verbum, sicut in corde consilium.* Cùm enim mens apud sè verbum habet, utique cogitando habet. Qvia nihil aliud est apud sè dicere, quam apud sè cogitare. Cùm ergo mens cogitat & cogitando Verbum intra sè generat, de sua substânia generat Verbum, & sic illud Verbum generat de sè, ut genitum habeat apud sè: Nec minus aliquid habet Verbum, quod ex mente nascitur, quam est mens de qua nascitur: Quia quanta est mens, que generat Verbum, tantum etiam est ipsum Verbum. Sicut enim de tota mente nascitur Verbum, sic intrâ totam permanet natum. Et quia cogitante mente, non est ejus aliquid, ubi in ea Verbum non sit. Ideo verbum tantum est quanta est mens ipsa, de qua est, & cùm apud illam est, in illa est, & quanta illa est, tantum etiam Verbum est, quia de tota & in tota est, tantumq; est ipsum Verbum, quanta simul est & mens ipsa cum Verbo: Neque enim sic de ea Verbum nascitur, ut ab ea localiter secernatur. Nativitas quippe illa, que ostendit quid sit, & de qua sit, ipsa ostendit,

quod extracēam, de qua natum est, esse non posuit, nec in aliquo minus sit, sed sic de ipsa sit, ut apud ipsam, & in ipsa sit, tantum que sit de illa, quantum in illa, & tantum in illa, quantum cum illa. H. I. Posteriorū verò sic exprimit Gregorius Nyssenus Orat. Catech. M. Cap. I. Tom. III. Oper. p. 47. Verbum hoc, ait, aliud est ab eo, cuius est Verbum. Nam hoc quoq; est aliquò modò ex iis, quæ ad aliquid dicuntur τὸν τεῖχον τὸν θεοφόρον. Quandoq; oportet omnino cum Verbo etiam Verbi Patrem subaudiri. Non enim esset Verbum, nisi Verbum esset alicuius. Quare si notionis habitudine ac relatione discernit auditorum mens & ipsum Verbum, & id, ex quo existit, nihil est nobis utiq; periculi, ne Verbi Mysterium cum Græcorum pugnans opinionibus, conveniat cum iis, qui facient partibus Iudeorum. Nec minus disertè Augustinus Lib. VII. de Trinitate cap. 2. Tom. III. Oper. col. 337. Sicut Filius ad Patrem refertur non ad se ipsum dicitur. Ita & Verbum ad eum, cuius Verbum est, refertur, cum dicitur Verbum. Eò quippè Filius quò Verbum, & eò Verbum, quò Filius. Hisce comparationibus inter Verbum quod in intellectu hominis nascitur cum Verbo quod ex DEO ab æterno genitum est, & hasce addunt Theologi Venerandæ Antiquitatis. Ut λέγοντες, dicunt, sive conceptus in mente Artificis principium est fabricandi. Ita Verbum divinum in mente Patris principium est operandi: Et ut potest esse Verbum, quod non sequitur opus, non potest autem esse opus, nisi præcedat Verbum: Sic Verbum DEI potuisse esse nullâ existente creaturâ, creaturam verò nullam esse posse, nisi per Verbum. Reddit hanc rationem itidem Gregorius Nazianzenus supra cit. & Dionysius Cap. VII. de Div. Nom. n. 4 p. 607. DEUS Verbum, inquit, prædicatur à Scripturis, non, quia solum rationis & mentis & Sapientia largitor est; Sed quia causas omnium in se ipso uniformiter anticipavit, & quia per omnia meas. Nervosè hæc com-

complectitur Augustinus Lib. XV. de Trinit. cap. II. col. 455.  
*Animadvertenda*, inquit, in hoc enigmate etiam est ista Verbi DEi similitudo, quod sicut de illo Verbo dictum est: *Omnia per ipsum facta sunt, ubi Deus per Unigenitum Verbum suum prædicatur universa fecisse, ita hominis opera nulla sunt, que non prius dicuntur in corde.* Unde scriptum est (Eccles. XXXVII.) *Initium omnis operis Verbum:* Sed etiam hic cum verum Verbum est, tunc est initium boni Operis. Verum autem Verbum est, cum de Scientia bene operandi gignitur --- Est & hoc in ista similitudine Verbi nostri similitudo Verbi DEi, quia potest esse Verbum nostrum, quod non sequatur Opus, opus autem esse non potest, nisi precedat Verbum. Sic & Verbum DEI potuit esse nullam existente Creaturam, creaturam vero nullam esse potest, nisi per ipsum, per quod facta sunt omnia. H.I. Tom. III. Oper. col. m. 455. Denique nec inepta est similitudo Veterum, quam inde petunt, quod sicut Verbum mentis per vocem ostenditur: Sic Verbum divinum per assumptionem carnis hominibus se manifestasse. Sic iterum Augustinus l. c. *Verbum quod foris sonat, signum est Verbi, quod intus lucet, cui magis Verbi competit nomen.* Nam illud, quod profertur carnis ore, vox Verbi est, Verbumque & ipsum dicitur propter illud à quo ut foris apparet assumptum est. Ita enim Verbum nostrum vox quodammodo Corporis sit, assumendo eam, in qua manifestetur sensibus hominum. Et sicut Verbum nostrum sit vox nec mutatur in vocem: Ita Verbum Dei caro quidem factum est, sed absit ut mutaretur in carnem. Assumendo quippe illam, non in illam se consumendo, & hoc nostrum vox sit, & illud caro factum est. H.I. col. 454. Cui jungimus Gregorium Nyssenum Orat. II. Tom. II. p. 27. de hâc similitudine sic differenterem: *Generatur in Corde Verbum generatione quâdam incomprehensibili atq. incorporâ, manetq. intus incognitum, ac secundâ generatione corporeâ per labia generatur, tuncque omnibus innotescit.*

notescit. Ab anima tamen, que ipsum genuit, non avellitur, ut per duplēm Verbi nostri generationem manifeste duas Dei Verbi generationes secundum imaginem & similitudinem ediscamus. Genitus enim est invisibili & inexplicabili atque incomprehensibili ratione a Patre ante secula. Eratque incognitus tanquam in anima quadam, apud Patrem; quousq; tandem ex corde quodam, ex sancta Virgine, sine corruptione, sine semine, secundum carnem generatus est, mundoque se prodidit, nihil ab occulta Dei genitoris paterna substantia separatus. Denique ad explicandam Notionis hujus Filii proprietatem, aliqui inter Antiquos PP. cum Verbo οὐαγήν & Verbum ωφορην adhibuerunt, non quidem ut hoc se jungerent ab illo, quod faciebant Hæretici, de quibus postea, sed ut cum illo conjungerent, & aliam proprietatem Filii innuerent. Sicut enim Verbi sermonisq; proprietas est, ut sit mentis & cogitationis Interpres: Ita DF. Filium idcirco quoq; λέγον vocari, ut sit Patris Interpres, ac per illum iste cognoscitur. Ita Gregor. Nazianz. Orat. XXXVI ait: nominari Filium λόγον, Αλλο το εξαγγελικόν, que est vis enunciatrix. Potest, inquit Origenes Tom. I. in Joh. p. 41. Filius etiam sermo esse, eo quod renunciet occulta Patris suis, qui mens existit, perinde atque Filius, qui vocatur sermo. Ut enim apud nos sermo, nuncius est carum rerum, que a mente cernuntur: Sic ille Dei sermo, qui Patrem agnovit, Patrem agnatum revelat. Et August. Lib. de Fide & Symbolo cap. 3 Tom. III. Oper. col. 140. & 141. Verbum, inquit, Patris idcirco dictum est, quia per ipsum innotescit Pater. Sicut ergo verbis nostris id agimus, cum verum loquimur, ut noster animus innotescat audienti, & quicquid secretum in corde gerimus, per signa hujusmodi ad alterius cognitionem proferatur. Sic illa Sapientia, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit animus secretissimus Patris, Verbum ejus conve-

<sup>25</sup>  
*convenientissimè nominatur.* Vid. ibidem hæc fusius de-  
clarans.

S. IX.

Quantacunque interim inter Verbum divinum ex in-  
tellectu Patris natum & inter Verbum creatum in intellectu  
hominis sit convenientia; In plurimis tamen ab invicem di-  
stant, & dissimilitudo inter utrumque notabilis occurrit &  
observata fuit à Patribus Ecclesiae, in primis contra hæreticos,  
qui similitudinem Verbi ultrà quā p̄ erat extendebat.  
Initio sicuti cū Vita, Virtus, Sapientia cæteraque translata  
ex hominum usu tribuuntur Deo, non similiter in eo se habe-  
re & inesse putantur ut in nobis: Sed excellentiori ratione:  
Ita & de λόγῳ ac Verbo idem cogitare oportet. Nam natura  
nostra quia caduca est & mutabilis neque sempiternum, ne-  
que subsistens parit Verbum. Deus autem ut æternus est, sic  
æternum & subsistens habet Verbum, Vivum & intelligens:  
Imò quia simplex est, vitam ipsam & intelligentiam, adeo-  
que potentiam, bonitatem & reliqua omnia, quæ sunt in Deo.  
Hæc enim non tam in Verbo sunt, quā hæc ipsa illud est.  
Quod & à producente diversum sit oportet, quia Verbum  
omne relationem significat, & nihilominus essentia & essen-  
tiae proprietatibus unum idemque cum eo. Quia neque  
plures naturæ sunt in Divinitate, neque Vitæ, neque Sapien-  
tiae bonitatesque plures. Atque hinc Basilius M. Homil.  
XVI. p. 435. supra citatā: Αὐτεὶ τὸ λόγον Ἰεροπέντε. Audi, in-  
quit, Verbum hoc ita ut Deo condignum eſt. Nam de Unigenito  
differens Verbum ipsum appellavit: Quemadmodum illum post ē  
Lucem & Vitam & Resurrectionem vocabit: Cùm verò lucem au-  
diu, non hanc sensibilem oculisque visibilem existimabis. Neque  
cùm Vitam audieris, hanc communem putaveris; quā & bruta  
vivunt. Similiter & Verbum audiens, cave mentis imbecillitate

D

ad

ad humiles terrenasque sententias deprimaris, sed Verbi potestatem  
 ac sensum diligentius investiga. Scilicet præcipuum inter divi-  
 num & humanum Verbum discrimen in hoc consistit, quod  
 nostrum sive interius sive externum & prolativum, non  
 subsistit, neque habet ~~substantiam~~, sed accidens quoddam est,  
 quod per se non existit; Sed nec vitam habet, neque ratio-  
 nem aut sapientiam aut naturales ejusmodi conditiones, qua-  
 les in eo sunt, à quo proficitur. Quamvis enim Hominis  
 vel Angeli perfectè se cognoscentis dicentesque Verbum, to-  
 tum illud repræsentat atque exprimit, quod in ipso est, ac ra-  
 tionem, intelligentiam, sapientiam, voluntatem aliaque  
 naturalia ejus ornamenta continet; hoc tamen extrinsecus  
 duntaxat, & ut loquuntur Scholastici objectivè vel secundum  
 intentionem habet, non formaliter, ut ipsum per se vivens,  
 rationale, sapiens sit, quippe accidens est, & qualitas qua-  
 oddam, cuius in essentiam proprietates istae non cadunt, nisi  
 specie ac repræsentatione; Uti speculum viventem & agen-  
 tem ac moventem sese hominem refert, cùm per se ipsum &  
~~substantiam~~ sit illorum expers. Divinum autem Verbum, quo-  
 niam ex ipsa Dei substantia verà generatione oritur, eaque  
 generatio ipsam est substantia gignentis, non actio aliqua  
 substantiae accidens: Ideò ~~substantia~~ & subsistens est, ac vivum,  
 intelligens, sapiens nec ullà essentiæ proprietate à producen-  
 te diversum. Ratio ejus, ut Augustinus locò suprà citatò de-  
 clarat, potissimum haec est: *Quod creatum Verbum non ex ipsa  
 procedat essentia dicentis; Sed ex ejus scientia & cognitione, que  
 naturæ accedit.* Neque enim homo e. g. secundum naturam  
 & essentiam suam actus est intelligens, sed adventitia quædam  
 in eo qualitas est scientia, ex qua Verbum oritur. In DEO  
 vero scientia & intelligentia ipsa illius est essentia seu substan-  
 tia. Est enim purus actus ac potentia omnis expers. Ver-  
  ba

ba Augustini Lib. cit. Cap. 13. Tom. III. col. 458, sunt hæc:  
*Longè huic scientia nostra dissimilis. Quæ autem scientia  
 DEI est, ipsa & sapientia, & quæ sapientia, ipsa essentia seu  
 substantia. Quia in illius nature simplicitate mirabili, non est  
 aliud sapere, quam esse, sed quod est sapere hoc est & esse. Nostra  
 autem scientia in rebus plurimis propterea & amissibilis est & rece-  
 ptibilis, quia non est hoc nobis esse quod scire & sapere, quoniam esse  
 possumus, etiam si nesciamus, neque sapiamus ea, quæ aliunde di-  
 dicimus. Propter hoc sicut nostra scientia illi scientie Dei, sic &  
 nostrum Verbum quod nascitur de nostra scientia dissimile est illi  
 Verbo Dei, quod natum est de Patris essentia. Tale est autem ac si  
 dicerem, de Patris scientia, de Patris sapientia, vel quod est ex-  
 pressius, de Patre scientia, de Patre sapientia. Insigniter hoc  
 ipsum declarat Athanasius Orat. V. Tom. I. p. 302. & 303. Ver-  
 bum, inquit, non dissolubiliter neque simpliciter vox est significa-  
 tiva, sed στοιχός λόγος substantiale Verbum & substantialis sa-  
 pientia, quæ revera est Dei Filius - - - Quemadmodum  
 enim ex Deo Deus est & ex Sapiente Sapientia, & ex rationali ra-  
 tio sive Verbum & ex Patre Filius; Sic ex Subsistentia subsistens, &  
 ex substantia substantialis, ac substantia prædictus & existens ab  
 existente. Quoniam nisi substantialis esset sapientia & substani-  
 tiæ prædictum Verbum, existens filius; sed simpliciter Sapientia  
 & Verbum & Filius in Patre, esset ipse Pater è sapientia compo-  
 situs & Verbo. Quod si verum est, superiora illa absurdâ conse-  
 quentur: Tum si ipse Pater erit: Ac se ipse gignens filius & a se  
 ipso genitus: Vel certè merum nomen est Verbum & Sapientia &  
 Filius, neque is de quo dicuntur, ista, vel potius, qui est ista, sub-  
 sistit. Docet ergo disertè Magnus ille Fidei Orthodoxus  
 Defensor, utique ενπέπτων esse τὸν λόγον.*

§. X.

Docebant hoc Sabelliani, qui uti personam eandem  
 D 2 esse

esse volebant Patris & Filii, ita hunc ἐνδιάλεκτον λόγον esse con-  
fitebantur, sed ita ut in idias struerent personalitati Verbi,  
dicebant enim: Quemadmodum concepta in animo nostro  
notio & cogitatio, à nobis personā non distingvitur: Sic & à  
Patre Filium personā non differre. Atq; hinc Basilius M. Ho-  
mil. XXVII. contra Sabell. Tom. I. pag. 519. de iisdem, no-  
minetemus, ait, confitentes Filium, re ipsā autem, verèque ejus  
ὑπαρχέν existentiam negantes, Judaismum instaurant. Etenim  
cùm Verbum confitentur, cum eo quod mente conceptum est, illud  
comparant, & Sapientiam vocantes, similem esse dicunt illi habi-  
tui, qui in eruditorum anima conflatur. Ac propterea personam  
confitunt unam Patris & Filii & Spiritus S. Quandoquidem unus  
etiam homo dividitur, neutiquam dūsus ab eo, quod in est Verbo  
& Sapientia, sive ut habet alia Verbio, propter Verbum quod in se  
habet, & Sapientiam. Pariter & Marcellus Ancyranus Photini  
Magister, Verbum DEi unam cum Patre esse Personam &  
ἐνδιάλεκτον λόγον quō Pater λογικὸς appelletur formaliter pro-  
fessus. Differre ergo dixit λόγον à Patre εἰργέα solā, & hu-  
mano Verbo prorsus simile esse. Accusat de hoc ipso Mar-  
cellum Eusebius Cæsariensis in Libris contra Marcellum. De  
Paulo Samosateno vid supra §. IV. Arius autem & hujus  
maxime Discipuli Aëtius & Eunomius, in contrariam rue-  
bant hæresin, & non modò personā, sed etiam naturā separa-  
bant utrumque Patrem & Filium, ac proindè Filium nega-  
bant ἐνδιάλεκτον λόγον esse: Sed diversum ab eo constituebant  
alterum, cui se ille communicasset. Testis est Cyrillus Lib.  
I. in Joh. Cap. 4 Tom. IV. p. 30. ubi Eunomii verba refert  
hæc: *Unigenitus DEi Filius non est ex se propriè Verbum ejus, sed  
internum illud Verbum DEi ac Patris in ipso movetur & est semper.*  
*Qui autem ab illo genitus dicitur Filius, internum ejus verbum ex-  
cipiens, tūm discendo novit omnia, tūm ad ejus similitudinem di-  
citur, & est Verbum.* Proindè malebat Filium DEi esse οὐεγ-

φορεύν prolativum Verbum Patris aut Sermonem, qui particeps interioris, eoque repletus, paternam enunciat declaratque substantiam. Scilicet Ariani duplēm in DEO λόγον statuebant, alterum in ipso Patre residentem λόγον naturalem, ipsius & proprium per quem & universitatem rerum omnium & λόγον alium condidit: Alterum à Patre & insito λέγω procreatum, qui & λόγος nominatur & οὐφίλα καὶ θίνεια h. e. solā animi cogitatione: λόγος quidem propter rationales creatureas, sapientia propter eas, quibus sapientiam communicat. Ita sententiam eorundem exponunt Athanasius Orat. I. & III. Tom. I. p 124. pag. 187. & seqv. & in Libro de sententia Dionysii. Cyrillus itidem Alexandrinus Lib. I. in Joh. cap. 4. loco antē citatō & in Thesauro Aſſer. XVI. Utrisque se opponebant Orthodoxi, qui uti contra Sabellianos & qui cum eis faciebant, defendebant Filium εὐδίκητον λόγον Patris esse, uttamen distinctus sit à Patre, & propriam habeat ψωσιον: Ita contra Arianos & eorum seqvaces tenebant eundem λόγον, qui ab aeterno fuit apud DEum, se nobis manifestasse, cùm in tempore Caro factus nobis Verbum Patris annunciavit. Nec propterea λόγον tantum dici: Sed quia semipiternum fuit Patris Verbum, qvoniā Pater nunquam fuit αλογος. Hinc Verbum DEi ac Filium ναὶ ἐστὶν ἐστάθησον per se substantiatum esse scribit Eusebius Lib. IV. Demonstr. Evang. c. 3 p 147. Nec non Cyrillus Hierosolymitanus Catech. XI. p. 96. Genitū, inquit, Pater Filium, non ut in hominibus mens Verbum generat. Etenim mens in nobis subsistens est: Verbum autem loquendo prolatum & in aere diffusum perit. Nos autem novimus Christum genitum Verbum non prolativum; Sed Verbum subsistens, vivens: Non labris prolatum, sed ex Patre ab aeterno & ineffabiliter atque in propria hypostasi genitum. Unde & passim, ne quis Verbum DEi εὐρεγείαν esse solam existimet,

30  
met, sed perfectam ac stabilem à generante diversam ~~τοισι~~  
~~ον~~, urgent eundem Filium vocari. Sermo, Filius natus est,  
qui non in sono percussi aëris, aut tono coacte de visceribus vocis  
accipitur, sed in substantia prolate à DEo Virtutis agnoscitur, in-  
quit Autor Libri de Trinitate, qui vulgo Novatianus inscri-  
bitur. Et Hilarius Lib. 2. de Trinitate col 26, scribit: Est  
progenies ingeniti, Unus ex Uno, Verus ex Vero, Vivens à Vivo,  
perfectus à perfecto, Virtutis Virtus, Sapientia Sapientia, gloria  
glorie, imago invisibilis DEi, forma Patris ingeniti. Interim  
λόγος ἐκ λόγου Verbum de Verbo, & si Irenaeus Lib. 2, cap 48.  
Ambrosius Lib. de Divinit. Filii c. 5. Tom. IV. Oper. col. 281.  
& alii ita locuti fuerint, non facile dixerunt, ne notionem  
Filiī cum Patris confunderent. Vid. Petavius Dogmat. Theol.  
Tom. II. Lib. VI. cap. 3. p. 554 & seqv. Prout etiam Filium  
DEi Sermonem, quō eundem indiscriminatim Veteres vo-  
cabant, cùm Arius luderet æquivocatione Vocis λόγος, ut  
divinitatem eluderet, postea non ita facile vocarunt, & si ex  
ratione sermonis seu λόγος τερψθεντες hoc nomen personale,  
tanquam ex notiori, quam est λόγος ἐν Διαλόγοις, explicarent.  
Vid. Petavius l. c. Cap. I. §. 5. Sic enim Arius Catholicis illu-  
dens in Sotadeis Canticis & Thalia, Multa Verba, dicebat, lo-  
quitur DEUS, quodnam igitur ex ipsis Verbis Filium & Verbum  
Unigenitum Patris esse dicimus? ut refert Athanasius Lib. de  
Decret. Synod. Nicæna Tom. I. Oper. p. 43. Ubi tamen ipsi  
respondet: Quasi non sufficiat unum ex DEo Verbum ad omnem  
ex voluntate Patris Creationem & providentiam implendam. Si  
enim DEus plura Verba loquitur, hoc ipsum imbecillitatem omnium  
arguit, quod unumquodq; usum alterius prestare nequeat. Sin  
Verbo unius dicatur uti, quemadmodum revera uititur, hoc & ad  
ostendendam DEI Virtutem pertinet & Verbi perfectionem, quod  
abillo prodiit. Et in Lib. V. contra Arian. Tom. I. Oper. pag.  
302.

302. docet: *Sicut una substantia est principium; Sic unum esse substantiale & subsistens ejus Verbum ac Sapientiam.* Quin ipsi Semi-Ariani, qui non nihil de ARII blasphemia remittebant, fatebantur verba illa five sermones quibus Filius allocutus est Patrem, non substantias DEi, sed *λεπτηνὰς ἐνεργειας locutionis efficientias esse.* Atque hinc Verbum illud, qui est DEi Filius non *ῥήμα νῷ Θέου* vocabulum & locutionem ex ore prolatam, sed *ἐστιας* nominarunt, ceu licet videre in sententia Basilii Aneyrani, Georgii Laodiceni & aliorum Semi-Arianorum apud Epiphanium hæresi LXXII. num. 12. Tom. I. Oper. p. 859. Multò absurdiores erant Anomœi apud Cyrrillum Lib. I. in Joh. c. 4. p. 30 Tom. IV. Oper. & in Thesauro Aſſer. XIX. p. 187. Tom. V. Part. I. qui Filium DEi non esse interius illud Patris Verbum indè concludebant, qvod Christus ipse testetur, se Verbum Sermonemq; Patris servare, tūm quod sibi mutuò loquantur Pater & Filius: nec non Eunominiani. Cyrrillus enim totus in eo est, ut probet nullum esse *ἐνδιάθετον λίγον* præter Filium unigenitum, ne duo sint in Divinitate Filii. Et ut ostendat, non esse propriam hanc & DEo naturalem locutionem, sed externam quandam significationem, tūm etiam partim ad Christum hominem sermonem illum dirigi, partim figuratè & ut à nobis capi possit, personas divinas sibi invicem loqui. *Loquitur*, inquit cit loc. ex Thesauro, *Pater ad Filium arcanō quoddam modo*, naturaliter id habentem, ut voluntatem eius sciat, à quo genitus est: *Neque sermonem expectat*, qui occultam illius voluntatem explicet, quoniam & ipse sermo est. In Comm. verò in Joh. I. c. sic eorundem objectionem proponit: *Unigenitus DEi Filius, non est propriè ipsum DEi Verbum, sed interius atque insitum DEi Patris Verbum in ipso DEo est semper: Qui autem ex ipso genitus esse Filius dicitur, is interius illud Verbum suscipiens cun-*

*cta ab*

Et a ab eo dicit, atq; ideo ad similitudinem ejus Verbum est, atque  
 etiam nunciatur. Si enim Verbum Filius DEI est, nec prater  
 ipsum aliud est, qvò Verbo Pater ad Filium dixit: Filius meus  
 es tu, ego hodiè genni te. Cum enim omne quod dicitur ver-  
 bo, non aliter dicatur, patet non absque Verbo ita Patrem  
 ad Filium fuisse locutum. Hanc Hæreticorum erroneam  
 opinionem prolixè refellit laudatus Cyrillus, & tandem  
 contrarationem eorum sic pugnat: Sed age, jam ad illud ve-  
 niamus, quod Pater ad Filium dicere à Scriptura introducatur.  
 Non idcirco, quia hec ad Filium Pater loquitur, aliud innatum  
 Patri Verbum, & aliud esse Filium intelligere debemus, sed illud  
 primò sciamus, nobiscumque diligenter volvamus quod mysteria,  
 nobis in spiritu predicens Prophetæ personam induit Filii atque ita  
 se audivisse à Patre afferit: Filius meus es tu. Non ergo que se-  
 cundum humanum habitum ac potestate Oratio suscipitur, duo  
 nos Verba intelligere compellat: Sed nostris moribus dispensationem  
 sermonis tribuentes, non injuriā imbecillitati humanae nature hu-  
 jusmodi locutionis verba accommodabimus. Quippe qui nec ver-  
 bis exprimere nec mente divina mysteria possumus. Superat enim  
 divina res & verba & ingenium nostrum. Unde fit, ut multa,  
 non ut dicuntur, sed ut rebus convenit, intelligentur. H. I. Coe-  
 terum quomodo intelligenda sit hæc locutio divina, quâ di-  
 vinæ personæ sibi invicem loquuntur ex Veteribus fusius de-  
 claravit Petavius l. c. cap. 4. p. 558. & seqv. Et hoc digitum  
 intendit Interpolator Ignatii Vetus Interpres, qui Verbum non  
 pronunciatum, sed substantiale intelligi vult, & explicationis  
 gratiâ addit: Non enim articulati sermonis vox, sed ἐνεργειας  
 θεῖς σοια ψυχῆς: Operatio Deitatis, substantia genita. Quan-  
 quam propter hanc εἰδήσην & ipse se de Arianismo aut Semi-  
 Arianismo suspectum reddidisse, à quibusdam credatur,  
 vid.

vid. Cotelerius in Notis ad Epist. Ignat Vol. II. p. m. 20. Pe-  
arsonius in Vindic. Ignatii, part. altera p. m. 29.

S. XI.

Maxima differentia inter Verbum creatum sive  $\alpha\lambda\delta\eta-$   
 $\tau\tau\omega$  sive  $\alpha\epsilon\phi\epsilon\kappa\omega$  & inter Verbum  $\sigma\tau\alpha\mu\theta\omega$  &  $\chi\alpha\zeta\mu\eta\omega$  in  
 hoc versatur: Quod illud non sit perpetuum nec stabile, sed  
 oriatur atquè intereat sive diffundat. Hoc verò sempiternum  
 est & immutabile, atque cum aeternitate illis à quo produci-  
 tur, adæquatur, & perpetuò durat. Semel locutus est DEUS,  
 ait Bernhardus Serm. de ver. Abac. ad hoc Verbum substanti-  
 ale respiciens: Semel utique quia semper. Una enim & non  
 interpolata, sed continua & perpetua locutio est. Et ante eum  
 dem Gregorius M. Verba illa Jobi Cap. XXXIII. 14. Semel  
 loquitur Deus, & secundò id ipsum non repetit, explicans hoc  
 applicat. Loqui, inquit, Dei est Verbum genuisse. Semel autem  
 loqui Dei, est Verbum aliud prater Unigenitum non habere. Unde  
 & apè subditur: Et secundò ipsum non repetit, quia videlicet hoc  
 ipsum Verbum i. e. Filium non nisi unicum genuit. H. I. Tom. II.  
 Oper. col. 599. Hanc  $\lambda\circ\gamma\circ\delta$  aeternitatem solis quasi radiis de-  
 scriptis Johannes. In principio erat Verbum, inquit Cap. I. 1.  
 Ergo, quia erat, non cœpit, & quia apud Deum erat non cœpit &  
 quia Deus erat, non cœpit, & quia hoc erat in principio apud DE-  
 um, non cœpit. Ita namque DEUS ex DEO natus est, ut cœpisse  
 nesciat, optimè ex Johannis Oraculo colligit Ambrosius in  
 Symb. Apost. cap. 4. Tom. IV. col. 90. Idem contra Aria-  
 nos, qui dicebant  $\eta\nu\pi\pi\tau\epsilon$ ,  $\partial\pi\cong\eta\nu$  Erat aliquando, quando  
 non erat scilicet Verbum aut Filius, urgent Patres & inter eos  
 Cyrillus Alex. interalia in Thesaur. assert. 4. Tom. V. part. I.  
 p. 23. Imperitè, inquit, dicunt hostes Dei, de Filio, Erat aliquan-  
 do, quando non erat. Nam si  $\pi\eta\nu$  refertur ad  $\lambda\circ\gamma\circ\delta$  nullum lo-  
 cum habebit  $\pi\cong\eta\nu$ . Siquis verò illud  $\eta\nu$  de tempore intelligat,

E

ut

ut aperte dicat, fuisse tempus, quando non erat Filius, ejus imperitia & stultitia arguetur, qui tempus existitisse dicat, antequam esset Filius per quem secula condita esse testatur Paulus. Conferantur Basilius in hæc verba homil. XVI, Chrysostomus homil. III. in Joh. Gregorius Nyssenus Orat. III. contra Eunomium Tom. II. Oper. & alii Notatu dignus hæc de re locus Ambrosii Lib. I. de Fide ad Grat. cap. 5. Tom. IV. col. 119. Verba Johannis citans, Erat apud DEum &c. Erat, erat, erat, erat: Ecce quater erat. Ubi impius invenit, quod non erat? Vid. Dissert. nostram ad loc. Proverb. VIII, 22. De Sapientia ab aeterno possessa A 1692. sub præsidio B. Dn. D. Deutschii §. 26. & seqv. Huc respexere Veteres cùm DEum nunquam ἀλογον i. e. sine Verbo nuisse professi sunt. Ex quorum Doctrina Joh. Damascenus Lib. I. de Orthodoxa Fide Cap. VI. p. 17. οὐ γὰρ ὁ ἐός τε γένεσις μὲν ἀλογός ἔται. Ipse unus & solus DEus, non sine Verbo est. Verbum enim habens, non insubstiens habebit, sed neque esse incipiens, neq; desinens: ἀλλὰ ἡ ἐπενδύσις ἡ ἀλογός: Non enim sicut unquam, ut fuerit DEus absq; Verbo: Semper enim habet sui ipsius Verbum ex se genitum, non instar nostris substantiam non servans, & in aëra fluens, sed intimè substantiens, vivens, absolutum, non extra ipsum, ut separabile evagans, sed in ipso semper immanens: Ubi enim erit, si extra ipsum gignitur? Quare p̄æclarè & nervosè de λόγῳ Fulgentius Serm. de Nativit. Verbum, inquit, hoc non definit prolatum, sed permanet natum, non transitorium sed aeternum, non factum à DEo Patre, sed genitum, non solum genitum, sed & Unigenitum.

### §. XII.

Ethoc ipsum intendit Ignatius noster, cùm λόγον hunc Iesum Christum, Verbum DEi Patris dicitur salutat & addit, quod non à silentio prodierit. Unus DEus est, qui manifestavit se ipsum

ipsum per IESum Christum Filium ipsius, ὃς ἦν αὐτὸς λόγος αἰ-  
δίος, τὸν διὸ σὺν τελέσθω: Qui est ipsius Verbum aeternum,  
non à silentio progrediens, sunt ejus verba. Duo hīc afferit de  
λόγῳ: Eundem esse αἰδίον aeternum sive οὐατίον Patri, ut mo-  
dò declaravimus, & quidem ita, ut nunquam à silentio pro-  
gressum sit, aut ex eo originem ducat, neque in hoc simile  
sit humano Verbo. Si ita accipientur hæc Verba, ut sint ex-  
egesis & explicatio Aeternitatis Verbi, benè inter se coharent  
& indicant id, quod cuivis est obvium, ut scilicet per hoc  
Verbum Hypostaticum discernat ab alio quovis Verbo non  
aeterno. Hic enim omnium hominum vulgaris de Verbo  
conceptus est, ut cogitat antè Verbum silentium & credat ex  
silentio prorumpere & exire Verbum. Unde silentium rum-  
pere Latinis est, loqui, ut Servius Virgilium explicat, ca-  
nentem

*Quid me alta silentia cogis*

*Rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem.*

Etapud Hesychium τὸ ἐχενθὲν, est ἔχειν τὸ έαυτὸν λόγον, ση-  
μανεῖν, λόγος σέγενος. Et σύντε & λόγος antithesis omnibus fami-  
liaris. Cum igitur Verbum communiter ita concipere so-  
leamus, ut illud silentium praecedat, Autor hujus Epistolæ,  
cum dixisset Verbum, quod Christus est, esse aeternum: Aet-  
ernum autem esse non potest, quod ante se habet aliquid: Ve-  
rè & opportunè cum Christum Verbum appellat, non tale in-  
telligi debere monet, qvale ex silentio proveniat. Hanc  
planissimam, naturalem & cuivis obviam verborum S. Mar-  
tyris esse rationem Viri docti & acuti Critici putant. *Verbum,*  
inquit Petavius in Appendice Tomi Tertii de Eccles. Hierar-  
chia Lib. 2. cap. 8. p. m. 750. Ignatius afferit esse IESUM Christum  
Filium DEI, non qualis est creatus & humanus sermo, qui in  
tempore incipit & desinit: *Hoc est, post silentium oritur & in si-*  
len-

lentium desinit; Non enim est eternus. Hoc unum nec aliud quidpiam voluit Ignatius. Petavii expositionem, quod scilicet verba: σὺν δὲ τῷ οὐρανῷ τοῖς ἀγγέλοις sint explicatio λέγεται ad id defendit contra Dallæum Joh. Pearson. in Vindic. Epist. Ignatii part. post. cap. 4. Et hanc adjectiōē nihil aliud esse, dicit, quam exegesin sive explicationem æternitatis Verbi, eamque planè naturalem & obviam & sine ullo respectu ad aliam aliquam peculiarem heresin maxime propriam, reddentem veram notionem æterni Verbi, & ab alio Verbo non æterno recte distinguentem. p. m. 34. Neque prorsus hoc diffitetur Georgius Bullus in Defens. Fidei Nicænæ Sect. 3. Th. I. §. 6. p. m. 291. Quanquam inquit, facile concesserim verba σὺν δὲ τῷ οὐρανῷ τοῖς ἀγγέλοις per exegesin addita, ad explicationem eorum, quæ de Verbi æternitate praecesserant: Tamen manifestum mihi videtur eā explicatione Ignatium voluisse pravo alicui conceptui Hæreticorum, quos perstringit, de Verbi prolatione occurrere. Stephanus le Moyne. Theologus Leydensis in Notis & Observat. ad Polycarpi Epistol. p. m. 162. cùm in hunc incidit locum & expendit huncce Eruditorum ingenia mirum in modum torsisse, ut contra Salmasium, Blondellum & Dallæum, qui moti novitate verborum hæresin Ignatio posteriore stringentium, hanc Epistolam Ignatio abjudicabant, eandem vindicarent, facile lites illas componi posse putat, si dicto modò hæc verba accipiamus. Res, inquit, leviori negotiō confici potest, nec tot eruditioris opes erant effundende, non investiganda & excutienda Valentianorum, Gnosticorum, Simonianorum arcana omnia, ut locus iste Ignatio vindicaretur. Ad illos, meò judiciō, oculos non atten-debat Ignatius, cùm ista scriberet, & de Σιρῆ τε Νῆσι συγγρα-nullo modo cogitabat. - - - Ignatius more Apostolicō & more gentis (scilicet Syriacæ & Antiochenæ apud quos degebat) locutus, Christum Verbum vocavit, sed eternum, non natum in tem-

tempore, & quod praecepit incepisset temporibus Herodis, & quod Mariae Matri originem suam deberet, ut volebant Ebionita, contra quos hic disputare videtur Ignatius, & addit illud esse ante secula, antea mundum illud fuisse apud Patrem, & non a silentio fluxisse, ut Verba prolativa, quasi silentium illud antecesserit, & fuerit aliquando, cum esset silentium, nondum vero esset Verbum, sed Verbum esse aeternum, quod omne silentium praecesserit, & quod nunquam non fuit, sed jam erat, cum primo Patris os aeternum, in voces solutum fuit. H. I. J. B. Cotelerius optimam inter alias hanc sibi videri sententiam, idque ob geminam causam, quarum prima est, quod Ignatius pro more suo adversus Judizantes Ebionitas, contra quos scripsisse memoratur, à Hieronymo, pugnet, ut per contextus seriem clarum sit; Altera est, quod ejus Interpolator non aliter haec verba intellexerit, cum eadem sic  $\omega\beta\iota\varphi\epsilon\zeta\lambda\iota\alpha\gamma\delta\lambda\iota\alpha\gamma\delta\phi\sigma\eta\mu\alpha$ . Idem disserimen inter Verbum divinum & humanum iam Augustinus prosecutus est, citatus à Petavio ex Serm. de Nativ. Domini, ubi inquit: *Quanam est illa generatio, quā in Principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum? Vel quod est hoc Verbum, quod dicturus anteā non filebat? Quō dictō non siluit qui dicebat? Quod est Verbum sine tempore, per quod facta sunt tempora? Verbum quod labia nullius aperuit cōptum, clausisque finitum.* Cui geminum adjungimus Fulgentium ad Trasimundum L. III. cap. 18. qui dicit: *Fuit infans Verbum secundum carnem, & fandi non habuit facultatem: Sed idem Verbum nullō unquam potuit coerceri silentio, quia ipse est Patris semperna locutio.* Evidē Dallaeus putat frigidum fuisse Magnesianos talia monere, quasi quispiam adeò fatuus fuerit, ut quem audit esse Iesum Christum DEI Filium, eundem putaverit esse a silentio ortum: Augustinum quoque ludere verbis & argutias captare. Verum sicuti ab initio Ecclesiae

quidam fuerunt, qui Christum Verbum esse Patris credebant, æternum autem esse, aut non comprehendebant, aut negabant, putantes simile esse prorsus nostro, & postea, qui Athanazio, Eusebio Cæsar, Grægorio Nysseno, Hilario & aliis hujusmodi explicationes extorserunt; Ita non inanis aut frigida hæc putanda est exegesis. Nec Augustinus, quasi in re seria luderet, & in mysteriis argutias capteret, vellicandus. Graviter hōc nomine Dallæo succensent, & Pearsonius in Vindic Ignat. Part. 2 p. m. 37. & Cotelerius in Notis p. m. 20.

### S. XIII.

Aliter tamen visum fuit Joh. Dallæo apud Parisenses Reformatæ Ecclesiæ Verbi Ministro, Viro in Patrum monumentis diligenter versato, & in discernendis Scriptis PP. spuriis à genuinis admodum acuto. Hic enim post Claud. Salmonium & Dav. Blondellum, quorum ille sub personato Walonis Messalini nomine de Episcopis & Presbyteris adversus Petavium, & in Apparatu Operis de Primatu Papæ p. 56. & seqv. hic verò in celebri Apologia pro sententiâ Hieronymi de Episcopis & Presbyteris, quod videret causæ Presbyteriorum, quibus addictus erat, hasce adversari, Ignatii Epistolas etiam post visas Usserii Vossiique editiones repudiarunt, tanquam spurias & suppositias, & ipse satis prolixum, quô Epistolas Ignatii etiam purgatas à suis interpolationibus & assumentis, quam plurimis argumentis, adulterinas & nullius autoritatis esse, evincere contra Usserium, Isaacum Vossum, Hammondum & alios, conatus est, edidit Tractatum. Non leve verò præsidium causæ suæ putavit se invenisse in hoc ipso, qvi præ manibus est, loco Ignatii. Ex eo enim Cap. XII. cit. Lib. liqverè existimavit, Autorem ejusdem non esse Ignati n, sed alium quendam posterioris ævi scriptorem, qvi nomen ejusdem mentitus fuerit; Siqvidem hisce

hisce verbis *ον διδ σηντελθων* manifestè feriat hæresim.  
 Valentinianorum, eorundemque Sigen, ex quâ & Bytho so-  
 mniarunt Logon productum esse: Hæresis verò hæc Ignatii  
 ævō prorsus adhuc incognita fuerit, & Ignatio posterior.  
 Idque etiam vidisse Interpolatorem hujus Epistolæ: *Veritum  
 enim fuisse*, sunt ejus Verba ex cit. Pearſ. I. c. cap. 3. p. m. 27. ne  
*istaſi legerentur*, *Epistolas non Ignatii ſed alterius recentioris eſſe  
 proderent.* Atque hinc illa quæ superius adduximus, substi-  
 tuſſe. Vedit, iterum ſunt verba Dallæi, iſlam Verbi à Sige  
*emanationem Valentiniū Ignatio recentiorem olere*, eò delendam  
 putavit, ne personati Ignatii drama proderet. Imò ipsum Pe-  
 tavianum, novi aliquid eſſe in Uſſeriana Editione ſecum leniſſe,  
 quod Autorem Ignatio recentiorem arguat, quod illa  
 verba de Sige à Valentini ſenu abducere conatus fuerit, cùm  
 eadem ſic explicat, post silentium prodierit. Adhæc ad  
 Irenæi provocat silentium. *Fieri enim non potuit*, inquit, *qui-  
 ea Irenaeus, ſi noſſet, arripiuſſet & contra Valentini expositum à ſe  
 ſomnium alicubi uſurparet.* At conſtat Ireneum eorum nun-  
 quam meminiffe. Denique phrasin illam *ον διδ σηντελθων* Gnosticos ad ſuorum Æonum emiſſiones, ut Catholicos,  
 ad Filii & Spiritus S. emanationes ſignificandas adhibuiſſe;  
 Quod attinet Interpolatorem, regerit Pearsonius I. c. p. 28.  
 uſpicionem de eodem vanam & nullam eſſe. *Quid enim*  
 inquit, *an ille cavit, ne aliquid in illa Epifola reperiretur, quod  
 atatem Valentini ſapere videtur, qui omnes ferè Epifolas ita  
 transmutavit, ut ſui temporis more modoq; loquerentur, & trias  
 poſt Valentini ſecula ſaperent?* An ille metuit ne atatem Ignatii  
 Epiftoli proderet, qui iſta cum ad Philadelphenos ſcribentem re-  
 preſentat, Presbyteri, Diaconi & reliquias Clerus, und  
 cum populo univerſo, militibus, magistratibus & Cae-  
 fare,

40

fare, ipsi Episcopo obedient, quæ scripta non fuisse antequam  
Romani Cesares Christiani facti sunt viderunt omnes Critici? An  
ille veritus est ne obliquè aliqua verba, ad Valentinum fortè ex  
eius sententia spectantia, Ignatii omnes Epistolæ suspectas redde-  
rent, qui Theodotus nomen cum Epistola ad Trallianos exprimendum  
putavit, quem tamen diu post Valentinum vixisse omnes norunt?

Interpolator igitur, si hæc ad Valentinum spectasse co-  
gitasset, non ea delevisset ne autorem proderent, sed pro more suo  
vel ipsò Judice Dallaø (ad fin. prioris Cap. ubi de Theodoto in  
Epist. ad Trallianos nominato agit) Valentini nomen expres-  
sisset. Qui enim Hereticorum nomina, quos in Epistolis, quas  
interpolabat notatos fuisse putabat, addere voluerat, quare Theo-  
dotum insiceret, Valentinum omitteret, cùm Theodotus Valentino  
multò junior esset, multoque manifestius etatem Scriptoris prode-  
ret? Sed nihil tale, tandem concludit, ille scilicet Interpolator,  
cogitasse censendus est, sed pro more suo omnia illustrare &  
amplificare studens, hac & alia immutavit; Priora ergo Autoris  
verba sunt, posteriora Paraphraſte. En, inquit Cotelerius in  
notis p. 20. hanc in rem, qui adeò bardus stultusque fuit, ut The-  
odotum, cuius heres̄is ajunt annis post Ignatii mortem penè centum  
exortam esse, notum Ignatio sibi persuaderet, aut aliis persuadere  
vellet; Mox nullā interpolatiā mordā evadit in virum cautum &  
prudentem: Veritum ne Siges vox fraudem Ignatianæ fabulæ pro-  
deret: Non veritum tamen, O imprudentem prudentiam! Ne  
idem efficeret Eusebius Dionysius & Iusta Arianorum, recentio-  
rum puto Valentianis Hereticorum. Idem de Petavii dubita-  
tione tenendum esse judicat idem Cotelerius l. c. cùm addit:  
Cætera, quæ contra Virum longè se præstantiorem Dion. Petavianum  
dicit doctus disertusq. avaywostis ventò leviora sunt. Quid  
enim, nonne dñs interdum significat post? An semper eadem vox  
eodem modo interpretanda? Tædet me triu. arum. Idem agit &  
Pear-

Pearsonius Cap. IV. p. 39. ostendens vocem ~~ωρελθέν~~ Petaviiano sensui non repugnare: Et verba ~~έν σημίτις~~ vel ~~δέν σημίτις~~ non malè reddi, post silentium. Ex Grammaticis enim Latinis ex aliquando pro *peſt*, usurpari & ex Gracis nihil tritus esse, quām ut *λόγος* & *έν* pro *μέρα* accipiantur, & non multum hæc inter se differre. Ad Irenæi silentium regerit Pearsonius l. c. p 30. Non magis probari Epistolam hanc Irenæi ætate non extitisse, ex eo, quod Irenæus verba hæc minimè citaverit adversus Valentiniū, quām nec quartō seculō eandem in hominum manibus fuisse, quod ea Verba non laudaverunt Eusebius, Athanasius, Basilius adversus Marcellum, ad cuius hæresin refutandam erant opportunitissima. Marcellus enim docebat, Christum ψιλὸν ἀλόγον, & minimè eternum esse; Ηὐρηκα τις τὸ τεῦθον τὴ λόγογρον, Silentium quoddam Verbo in DEo existente: Cūm autem mundus creandus esset, τόπῳ ἀλόγῳ ~~ωρελθέντῳ~~ ἐγένετο τὸ κόσμος ποντίκις, tunc Verbum progrediens factum mundi conditorem, ut verba Marcelli leguntur apud Eusebium Lib. II. de Eccl. Th. c. 8. Unde Marcelli sententiam cum illa Veterum Gnosticorum de Sige comparat c. 19. Cām' igitur, concludit Pearsonius, Eusebius Marcellum perstrinxerit quod Verbum post silentium prodijisse dixerit, & simul observaverit hæc à Gnosticis esse hausta; Cūm idem certissimè etiam neverit hæc quæ nunc apud Ignatium legimus, nec tamen adversus Marcelli hæresin usurparit loco satis opportunō, quis non videt sine ullo fundamento, asseri Ignatiana Irenæi Seculō non extitisse, quod ea ille adversus Valentiniū somnia non usurparit? Deniq; in hac Ignatii sententia phrasin Gnosticorum seu Valentinianorum nullō modō indigitari & proscribi, ex hoc probat Pearsonius l. c. p. 39. quod non ita voce ~~ωρελθέν~~, quā utus est Ignatius, quām potius voce ~~ωρεβάλθέν~~, in explicandis suis Emanationibus legantur usi. Hanc posteriorem enim vo-

cem maximè huic Hæresi fuisse propriam & passim exagitari à Patribus, qui contra hasce *ωρθολας* scripserunt, ex testimoniis Irenæi passim & aliorum probat. Ergò Autorem Epistolæ si direcè Valentianos ferire & eorum phrasū uti voluisset, non ἀπὸ τοῦτος *ωρθελασιν*, sed potius εἰς τοῦτος *ωρθεβλημάτων*, dicere debuisse. Qvod verò addit & Nostros ad Emanationem Filii à Patre significandam usos esse voce *ωρθελασιν*, rectè dicit ad rem non facere, & inanem esse subtilitatem distingvere inter *ωρθελασιν* & *εξελασιν* inter *progredi* & *exire*. Hasce enim phrases promiscue in Scriptura S. & apud Patres adhiberi.

#### §. XIV.

Verùm hæc verba de λαθυρῳ τοῦτον τοῦτον ad Valentiniū, omnino non spectare, neque Autorem hujus Epistolæ cùm hæc scribebat, Valentiniū ejusque fabulas refellere voluisse laudatus Pearsonius l.c. c. 5. ex hac potissimum ratione liquere putat, quod Valentianī nunquam dixerint Sigen perpetisse λόγον. Idque constare ex fragmentis Valentianorum, quæ hodienum extant apud Irenæū & apud Epiphaniū. Apud illum in Genealogia Æonum Valentianorum Logos est ex Arche i. e. Nū seu Monogene & Aletheia; apud hunc exit ex iisdem mediantibus Anthropo & Ecclesia, aut ex Anthropo & Ecclesia. Fabulæ eorundem prolixè propounderunt ab Irenæo Lib. I. contra hær. c. i. p. ii. & Valentini præcipue Cap. 5. pag. 59. Sed nullibi Irenæus meminit Logi à Sige prolati. Neque Epiphanius ad hunc provocans Hæresi XXXI. n. 10. & seqv. Tom. I. Oper. p. 175. & seqv. aliter οὐχιας Valentianorum disponit. Nec Tertullianus antè eundem, nec Philastrius, Augustinus & Theodoreetus, aut eorum quispiam, qui post eum Valentini deliria aliter expuerunt. Præterea ex doctrina Valentianorum Æon à Sige emis-

emissus intra primam quadrigam, quam primordialem te-  
tractyn & authenticam nominabant, continebatur, à quo λόγος exclusus. Fusiùs hoc deducit laudatus Autor ex Irenæo  
& Tertulliano, qui Nun à Bytho & Sige emissum Bythum  
ipsum plenissimè cognovisse, ipsique æqvalem & parem esse.  
Bythum autem & Sigen alias Άεones progenerare noluisse,  
ideoque Nun Monogenen dictum esse. Ut autem alii Άeo-  
nes emitterentur, Nun etiam Archon & Patrem factum. Lo-  
gon autem, qui ab eo progeneratus est, in Domino rationem ge-  
nerari, eò quod ex Bytho & Sige emissus non esset, idque By-  
thum prorsus ignorare, & Άeonem cœcum dici. Hec, in-  
quit, sunt in Valentini Schola certissima dogmata, ex quibus patet  
Logon à Bytho vel Sige emissum dici non potuisse. Conferantur  
Schemata Quindecim Copulationum seu Conjugationum tri-  
ginta Άeonum Pleromatis Gnosticorum quas primò capite de-  
scribit Irenæus & Pleromatis Tricenariae Divinitatis seu XXX.  
Άeonum per tria tabulata à Rhenano & Pamelio juxta Tertul-  
liani mentem disposita in Annotat. ad Procem. Irenæi p. m. 8.  
& 9. Contra Blondellus ut thesin suam firmaret, aliam indu-  
cit Genealogiam, quam ex fragmento libri Valentinianorum,  
quod exstat apud Epiphanius in Panario, in quo λόγος à  
Nu & Sige immediate processisse, memoratur, hòc modò:  
Supremum illi Άeonem somniantes Βύθον à se & οὐρανοντες di-  
ctum, qui ex Σιγῇ complexu geminam prolem Νῦν seu Πάτερ  
& Αληθεαν suscepisset: Rursus Νῦν seu πάτερ Σιγὴ matri  
commixtum λόγον καὶ ζωὴν genuisse fingebat. Sed regerit  
Pearsonius hanc Άeonum συγγένiam nec Valentini nec Valenti-  
nianorum, quos Epiphanius à Magistro (à quo discipuli sicut  
& à se ipsis dissensisse omnes norunt) distingvit, genuinam  
exhibere mentem. Non illius, utpote de qua rectius ex  
Irenæo, Epiphanio & aliis supra laudatis, confit: Non ho-

rum, quoniam admodum dolosē verba quædam ex illo fragmento recitet, dum omittit ea, quæ ad rem maximè faciunt. Suam potius sententiam ex ipsis fragmenti verbis dilucidè colligi. Autorem enim hujus fragmenti, primam emissionem illam ponere, quâ Pater Veritatis ex Bytho & Sige generatur, quem & ἄνθρωπον vocabant; Secundam, quâ Veritas ex Patre seu Homine & Sige generatur; Tertiam denique, quâ secunda tetras, Homo & Ecclesia, Sermo & Vita, ex Patre & Veritate generata est. Provocat quoque Blondellus ad locum quandam Cyrilli Hierosolymitanī, qui Catechesi sextâ p. 55 disertè videatur Logon ex Sige deducere. Verba Cyrilli hæc sunt: οὐδὲν ἐγένετο Σιγῆνη τὸν τῆς Σιγῆς ἐπειονότες λόγος γε παρὰ ἔλλον διὸς, ἀτραχείρων τῆς τῇ ἀδελφῇ μονομάδεις τέννον γε ἐνεψετε Βυθῷ ἐλέγετο η Σιωπή, quæ Joh. Grodecius sic interpretatus est: Quod Bythos i. e. profundum genuerit Sigen i. e. Silentium, & de Sige procrearit Logon, qui Jupiter sit Gentilibus, & deterior ac inferior illo qui cum sorore sit mixtus. Sige enim Bythi filia dicebatur. Respondet ad hæc Pearsonius Locum hunc Cyrilli in mendo cubare, nec ab Interprete intellectum fuisse. Fundem enim Vocem λόγου corruptè legisse in suo MSC. & à prioribus & à sequentibus in Gracis distinxisse, in Latinis autem utrique sententiæ conjunxit: Scilicet cum ἐπειονότες componere, ac si scriptum esset λόγος, cum τις διὸς conjungere, ac si in eodem casu legeretur, atque inde omnia confundere. Cum tamen vox λόγου videatur redundare, quia nec ad priora nec ad posteriora commodè posit referri. Non ad hæc, quia Cyrus non Logon, sed Bythum Jovi comparat, non ad illa, quia τὸ τεκνόν satis erat ad exprimendum loci hujus sensum: Döcer enim Cyrus Joyem sorori mixtum fuisse, & Bythum ex familia sua procreasse liberos: Ergo vox λόγος videtur redundare.

re, nisi quis, ut hario latur Pearsonius, legit λέγω τὸ Δίος ad modum seu similitudinem Jovis, vocem λέγω adverbialiter intelligendo.

### §. XV.

Videamus quibus rationibus nitatur Dallaeus, ut evincat Autorem Epistolæ ad Magnesianos Valentini Matæologiæ hæc opposuisse & contra eandem eos ad quos scribit munire voluisse. Primò hoc exindè colligit, qvod in antecedentibus Unitatem DEi afferuerit, secundò dicat, unum DEum se ipsum per JESum Christum manifestasse, tertio JESum Christum esse DEum illius, qui se manifestavit Filium, eundemque quartò esse λόγον, & quidem quintò æternum, qui proindè sexto, non à silentio prodierit. Hæc verò esse ipsa deliria Valentinianorum, qui & unitatem DEi negabant, vel per suos Æones turbabant, & de JESu Christo Filio DEi, in quô Pater se manifestavit, quique sit λόγος non docebant, ut Catholici, maximè omnia sua de Sige ex qua Verbum prodierit contra æternitatem Verbi, proponebant. Hæc argumenta expendens Pearsonius l. c. licet numerò sex, ne unius quidem vim habere afferit. Falsis enim niti omnia hypothesisibus & postulatis, quasi Valentinus solum inter haereticos unitatem DEi negaverit, cum ipse potius eandem sit confessus cum aliis haereticis, sed per sententiam malam solum immutarat, ut ait Irenæus Lib. I. cap 9. Aut solus Valentinus cum sociis per suas fabulas generationem unam Filii ex Patre, & quidem ab æterno, exploserint, aut λόγον negarint; Cum Valentiniani eundem & JESUM & Christum & λόγον nominarint; Et longè antè Valentimum Ebion & alii, in hoc luto haererint. Itaque hæc, quæ hisce erroribus aut blasphemias ab Autore hujus Epistolæ opposita sunt æque idonea esse ad Ebionæos & alios confutandos, etiamsi Valentinus nunquam extitisset: Idque

ex connexione hujus pericopes liqvidò probat. Imò hæresin illam, quæ ejusmodi generationem τὸ λόγον ex Στηνῇ vel Matre vel A via finixerat, Valentino fuisse antiquiorem idem Pearsonius Assertione tertią Cap. VI. luculentissimis Veterum testimoniis fusiùs probare & ab Exceptionibus Blonde li & Dallæi vindicare annis us est Qvin Assertione quartā Cap. VI<sup>1</sup>, sustinet, probari certò non posse, ipsos Valentini errores Ignatio fuisse incognitos. Valentimum enim tām serò non vixisse aut in hanc hæresin prolapsum, ut ejus doctrina Ignatio innotescere nullò modò potuerit, ut vulgò putatur, & laudati Autores contendunt, sed Polycarpo σύγχρονον fuisse & antè Polycarpum mortuum. Teste enim Irenæo Valentianum sub Hygino venisse Romanam, increvisse sub Pio, & prorogasse tempus usque ad Anicetum Lib. III, contra Hæres. c. 4 p. 242. Sed sub Aniceto Romanam quoque venit Polycarpus, eodem Irenæo teste Lib. III. c. 3. p. 233 & aliquot, postquam Romanam reversus est, annos in Asia peregit, priusquam martyrium passus est. Si ergo, colligit, Polycarpi doctrina, & Ignatio & Johanni & aliis Apostolis cognita fuit, Valentini etiam doctrina faltem ab Ignatio cognosci potuit. Ut itaque nihil lucentur, qui ex argumento à Valentini Sige deducto, evincere faterentur, recentius esse hoc scriptum sub nomine Ignatii effidit, & νοθεῖαν suam prodere, dum eam hæresin tetigit, quæ post Ignatii martyrium enata sit. Non vacat hic quæ Vir Doctissimus ex Antiquitate fusiùs duobus capitibus contra Ignatianomastiges de ætate hærefoes Valentianæ & ejus autore Valentino deducit & luculentissimè probat, excutere. Habet interim in hoc consentientes Usserium, Hammondum, Vossium, cuius Verba ex Notis in hanc Epistolam, quod brevius & dilucidè hoc ipsum exponant, adducimus. Ita autem habent: *Nihil opus esse puto, ut talia effugias*

aue-

quaramus, scilicet quod hæc verba inserta sint ab aliquo interpolatore; Illud quidem non negaverim, si locus hic sit sanus & hæc de sumpta sint ex heresi Valentiriana, actum videri de Epistolis Ignatianis. Sed ut hoc credamus, nulla nos cogit necessitas, & forsan verum non est, ut statim videbimus. Vel hic enim locus satis indicat, Valentinum non fuisse primum, qui λόγον Δότο συγκριτούμενον dixerit. Quodsi, ut idem ex aliis demonstremus, conjecturis uti liceat; ne illæ quidem defunt. Ex omnibus Veteribus nemo est, qui scripsérunt Valentinum novam sectam, aut novas condidisse opiniones: Omnes illum Veterum opinionem resuscitasse ajunt. Theodoreus postquam de illis Heresibus egit, que Valentinum præcessere, pergit, εἰς τὰς πατῶν τὸν αἵρεσεων ὁ Βαλεντῖνος λαβάν αὐθικὰς τὴς ἀπεργίτης αἵρεσης συνέδηκε μὲν θεός Tertull. de eodem: Cujusdam Veteris Opinionis semina naētus, Colarbasō viam delineavit. Et omnium antiquissimus Ireneus: Οὐ μὴ γάρ πρώτος διπλῶς λεγομένος γνωστῆς αἵρεσεως, τὰς δεκαταχαῖς, εἰς ἕδιον χαρακτήρα διδασκαλίας μεταφράσους οὐαλεντῖνος. Nihil itaq; aliud fecit Valentinus, quam quod veteres Heresies, in meliorem ordinem digesserit, & ut ait Ireneus idior illius χαρακτήρα dederit. Nam quamvis & inter illos Harecos, qui Valentinum præcessere, alii alios secuti & magnam partem heresis sue ex aliena conflarint: Quoniam tamen eorum opiniones non planè eadem fuere ac decessorum, idè SS. Patres, tanquam de diversa heresi loquuntur. De hoc autem heretico longè aliter, tanquam de eo, qui veterem & obliteratam heresin renovavit. Quodsi inter antiquiores sectas muspiam reperiatur venustula illa Dea, Σιρῆνη inquam, cogitandum nos minimam habere partem heresicon: Cum veteres Patres vix præcipuorum hereticorum sectas & dogmata retulerint: Multi autem minus eorum equalium & discipulorum, quorum tot opinions fuisse produnt, quot capita, tot appellations unius ejusdemq; rei, ut omnes promere, foret tediosum. Fieri ergo potuit ut non unum habuerit

volumen

nomen illa Σιγή, cùm & postea Valentiniā diversis illam modis appellarint: Nam & χάρη & Ἔβοιαν vocabant. Itaque forsan antiquioribus Gnosticis & Basilidianis, à quibus maximam partem hæresos sue accepit Valentinius, idem plane fuerit Νόος, Ἔβοια, χάρης & Σιγή, quas postea Ideas distinxerit Valentinius. Præterea non ipse est, qui primus commentus sit Σιγή. Translatum hoc ex veteri Comico Antiphane. Ille enim in Theogonia de Nocte & Silentio, Chaos emissum dixit, dehinc de Chao & Nocte Cupidinem & Lucem & reliquum prime generationis. Postea secundam Deorum generationem fixit & Deos secundarios, item mundi & hominum Creationem &c. Ex hoc Antiphane Valentinius & illi, qui ante eum fuerunt, Gnostici, omnes ferè suas genealogias & Aeonias desumpserunt, mutatis tantum nominibus. Non enim minus diligenter Gnostici illi antiquiores Poëtas Graecos legebant, quam forsan ipse Valentinius. Ex Philistione & aliis Poëtis plurima illos desumpserunt, Veteres produnt. Hinc est, quod Epiphanius agens de illis Gnosticis, qui ante Valentiniū fuere, dixerit, Graecos Poëtas, earumque fabulas, occasionem omnibus scētis dedisse. Idem alibi de Valentino loquens, satis ostendit & alios fuisse, qui ex Poëtis illis hæreses suas formarint, quos ipse tantum secentis sit, καὶ αὐτὸς τὴν Ἐνώπιον ποίησιν εἰς τὴν ἑαυτὴν λαβὼν, καὶ διπλῶν σὸν αὐτῷ καὶ τετράπλευρον ἀληθεῖας ἐκπεποιήσας κατέβασεν. Et hec quidem certissima & verissima puto. Et mox de ætate Valentini sive tempore, quando hæresin sparsit, ita scribit: Illud præterea in considerationem venit, quod Veterum nemo indicavit, quando Valentinius à vera religione defecerit. Illud quidem ex Tertulliano constat, quare Hæreticus factus sit nimisrum quod Episcopatu excidisset, sed tempus διαστάσεως non addidit. Apud Eusebium legitur illum agnatum fuisse A. C. CXLIV. Sed uti posse, ita quoque jam antea innostuerat. Et ille mos loquendi saepe frequens est Eusebio, quod nulli non est notissimum. Romanum vero venisse

venisse sub Hygino Papa, testis est Irenaeus. Hyginus is constitutus est anno CXL. secundum Eusebium. Scio quidem alios aliter numerare, qui Cletum volunt addere, sed eorum calculus antiquis planè refragatur. Neque tūm demum cūm Romam venisset a fide orthodoxa deservit; sed jam diu antē id factum. Sparserat enim jam hæresin suam per multas Ægypti provincias. Quando autem cœperit, difficile sit dictu. Interim negari non potest, fieri potuisse, ut vivō etiamnum Ignatiō maleos seduxerit, si non palam, saltem clām. Atque eō id credibilius, quod apud Clementem citetur Epistola ejus scripta ad Agathopodem, qui comes fuit Ignati, & una cum eopassus videtur. Plura adferrem, nisi hac putarem sufficere.

### S. XVI.

Sed contra hæc in primis objiciunt Dissidentes: Primo argumentantur: Nemo ante Valentīnum docuit aliū esse D̄Eum præter Creatorem. Omnes qui Bythum & Sigen induxerunt, docuerunt aliū esse D̄Eum præter Creatorem. E. qui Bython & Sigen inducerent antē Valentīnum nulli fuerunt. Sed negatur ab altera parte Major Propositio. Falsum esse dicunt, quod antē Valentīnum nemo docuerit aliū esse D̄Eum præter Creatorem. Docuisse enim ita Basilidem, & antē Basilidem Saturnīnum & Menandrum & antē hos Cērinthum & Simonem Magum, imò in universum omnes Gnosticos ante Valentīnum, qui partim negabant D̄Eum summum creasse mundum, partim ei adjungebant Ennōēam & alios Æones, partim D̄Eum incognitum & innominatum introducentes, commenti sunt Judæorum D̄Eum esse ex Angelis, quod ex testimoniis Irenai & Tertulliani liquidò probant. Neque obstat Tertullianus qui Lib. de Præscript. Hæret. c. 34. Tom. II. Oper. p. 337. & Lib. I. adv. Marcion. c. 21. Tom. II. p. 627, testatur, temporibus Apostolorum nullos

G

surre-

surrexisse Hæreticos, qui Creatorem Universorum summum & unum DEum esse negarent, vel de eo controversiam moverent: Marcionem cum suo Apelle & Valentiniū solos primosque fuisse, qui id genus litum moverint. Nam & ipse Cerdonem Marcionis Magistrum agnoscit, & de Marcione, Apelle & Valentino tanquam maximè celeribus sui temporis Hæreticis loquitur, & iis adscribit, quod aperte cum ipsis verbis plures dixerint DEos, quod illi obliquè, dum alium, aut alios Mundi Demiurgos introduxerunt, fecerint. Eadem est ratio dicti Irenæi ex Lib. I. cap. 5. apud Epiphanius quoque hær. XXXI. n. 32. Οὐ μὴ γὰρ πέπτεται διπλῶς τῆς λεγομένης Γνωστῆς αἵρεσεως εἰς θίσιον χαρακτήρα διδασκαλίας μεθαριστας ἐξηρόφθησεν: Ille scilicet Valentinus primus ex illa Gnosticorum hæresi, qui ex Veteribus Doctrinis ad suam formam translatis & aptatis quod subjicit dogma tradidit. Ne quid dicamus de voce ἐξηρόφθεσεν, quæ diversimodè legitur, aut quod observat Cotelerius illud ὡς μὴ γὰρ πέπτεται, referendum esse ad seqv. Σταύρον δέ τοι; Non fuit Irenæi mens, quasi Valentinus primus inter omnes Hæreticos Logon ex Sige fructificatum esse docuerit, non enim ejus meminit Irenæus, sed ex prima tetrade fructificatum dixit, quia Valentinus primus fuit, qui istas Syzigias in ordinem redegit, & in suum characterem doctrinæ transtulit. Vid. Pearsonius l. c. p. 70. & seqv. Atque hinc fluit etiam Responsio ad secundam Objectionem, neque Gnosticorum Veterum, neque Valentinianorum quenquam Logon Siges filium induxit, sed hoc à recentioribus esse factum. Nam potuit illa Σιγή aliud habere nomen, cum & postea Valentiniiani diversis eam modis appellarent, vel Charin, vel Emnoian: In Syzygiis Simonis fuit Φωνή, quam Discipuli ejus post editum S. Johannis Evangelium, verterunt in λόγον & eos secutus Basilides. Scilicet & veteres Gno-

Gnostici Nun & Aletheian ex Bytho & Sige prodiisse docuere teste Irenæo, ex quo constat primam Ogdvada à Veteribus Gnosticis jam proditam fuisse. Decada & Duodecada à Valentino additas. Lauream ergo Valentino relinquimus, quam in ordinatione & deductione Aenonum suis antecessoribus præripere voluerit; Sed quod Logon Siges vel filium, vel nepotem introduxerit, negamus.

§. XVII.

Hæc sunt, quæ pro vindicando loco hoc Ignatii, in quo Sige illa, ex qua natus sit Logos suspecta videbatur & recentiorem prodere ætatem scriptoris, Viri supra laudati fusiūs contra Blondellum & Dallæum disputatione. Dicant iam ipsi suam de hac Sige ex qua negat prodiisse Logon Ignatius, sententiam. Joh. Pearsonius quidem, Verba hæc λόγος οὐκ ἀπὸ σὺντονίας τελεσθεῖσιν non aliam quam Ebionitarum Ignatio notam & maximè tunc grassantem ferire omnino persuasus fuit. Idque putat probari posse ex ipso contextu Epistolæ & connexione ejus. Particula enim, inquit, οὐ offendit hanc ipsam sententiam prioris rationem continere, & sequens particula οὐ offendit eam ex hac seqvi debere. At & antecedens sententia & sequentes Ebionem disertè ferunt, ergo & hac que prioris rationem explicat & posterioribus occasionem præbet. Antecedens hæc est: Si enim usque nunc secundum Judæismum vivimus, confitemur gratiam non recepisse. De Ebioneis Irenæus Lib. I. c. 26. Circumciduntur & perseverant in his consuetudinibus, quæ sunt secundum Legem & Judaicō charactere uti. Idem testantur post Irenæum omnes: Antecedens igitur sententia Ebionem disertè ferit. Quia autem sequuntur Εἰ δὲ εἰ τὰ πλαστὰ πάροιαν αὐτοφέντες εἰς κανόνης ἐλπίδος ἥλυσθον. Si igitur in veteribus rebus conversati in novitatem spei venerunt, & cetera eodem planè tendunt, ut à Judaismo nempe recedant qui Christianismum ample-

Etuntur: Quae omnia directè adversus Ebionem & sequaces militant. Hec ipsa sententia, pergit, ab argumento incipit, quô uti Veteres adversus Ebionitas similesque, hereticos solebant. *Ως οἱ διδόντες τοῦ Φίλτρα μὲν Χειρὸν ἵστεν* Divinissimi enim Prophetæ secundum Christum Iesum vixerunt, & ut demonstret eos gratiâ Christi inspiratos hoc fecisse, eundem DEum, quem illi colebant, manifestasse per Filium suum dicit, qui est eternum ejus Verbum, contra eundem Ebionem, qui cum nudum esse hominem afferebat, eternum negabat. Nontantumen illi, qui ex Viro & famina Christum prædicabant, sed & ii, qui cum ex Virgine natum agnoscabant, præexistisse eum ut DEum Verbum & sapientiam minimè agnoscibant, ut testatur Eusebius Lib. III. c. 27. Ita omnia convellenda Ebionis heresi apprimè convenient, neque aliò possunt spectare, nisi vim verbis manifestam faciamus. Hæc ille in Vindic. Ignat. part. post. c. 4 p. 33. 34. Ibidem notat ipsum Dallatum fateri, illa verba εἰς δὲν αὐτὸς λέγος διδιγός adversus Artemonem & Theodotum dicta esse, qui Ebionis hæresin amplectebantur. Fusiūs hæc deducit cap. 5. p. 54. & seqv. ubi totam seriem Ignatianæ hæreseos proponit & ostendit S. Martyrem non in animo habuisse Valentini, sed potius Ebionis hæresin cum hæc scriberet. Priorem enim Periochen hujus Epistolæ nihil aliud esse, quam insignem hortationem ad unitatem Ecclesiasticam toties ab ipso, toties ab Apostolo inculcatam, argumento petitò ab unitate Christi & DEi Patris ad exemplum Apostoli Eph. IV. In altera verò prolixiorē monere S. Martyrem, ut Magnetii evitarent hæreses, inter quas tūm eminebat illa, quam dicit *καὶ παλαιῶν πράγματον αντεφένειν Veteribus rebus i. e. observationibus Legalibus per mortem Christi sublatis, conversari, quod utique Ebionitarum erat proprium, qui Legis observationem sibi omnino necessariam ducebant, quasi per solam in Christum fidem vitamque ex ea, fide*

fide traductam salutem consequi non valerent, ut ait Eusebius Lib. III. c. 27. Contra hos ergo Judaizantes dicit, disputare hic Ignatium, dum illa scribit: *Divinissimi enim Prophetæ secundum Christum JESUM vixerunt, propter hoc & persecutionem passi sunt inspirati à gratia ipsius.* Hos ergo dicit persyalos fuisse omnino quod DEUS, quem illi coluerunt unus & idem sit, qui se per JESUM Christum revelavit, cuius illi gratiā repleti erant. *JESUM, inquam, Christum Filium suum, non talem, quam illi docebant (λίτιν vel ζωντανόν vel ψλοντανόν, hominem nudum, simplicem aut vulgarem, secundum electionem Filium DEI vocatum, quem dicunt non à Patre genitum)* Sed ὃς δέν αὐτὸς λόγος αὐτοῦ, qui ipsius DEI Verbum est aeternum, secundum illud Iohannis: *In principio erat Verbum. Verbum, inquam, tamen aeternum λόγος ὁν διὸ σὺν τῷ περιλόγῳ:* Neque enim vulgare aliquod Verbum est, quale est hominis scilicet aut cuiuslibet Creatura, quod ex silentio prodire solet, adeoq; aliquid praecedens agnoscere, sed Verbum DEI Dēoque coeternum. Hac ergo dicit directè Ebionæos, qui tale quid docebant, ferire, quorum etiam illi qui coeteris meliores esse videbantur, Christum ex Virgine & Spiritu S. genitum esse non negabant. Nihilominus cum Christum utpote DEum, Verbum & Sapientiam ante omnia substituisse minimè fateantur, adeoque sanctissimos Prophetas illius gratiā inspiratos fuisse negent, in eandem cum prioribus impietatem delapsi sunt, præsertim cum corporales legis Mosaicæ Ceremonias perindè ac illi accurate custodian, ut docet Eusebius. Idem patere dicit ex immediatè sequentibus quibus eosdem Ebionæos pungit Ignatius, legens sic vestigia Iohannis qui contra Ebionæos Divinitatem & Aeternitatem Verbi in suo Evangelio ex consensu Veterum adstruxit. *Si igitur, sunt verba apud Ignat. l.c. illi divinissimi Prophe-*

Prophetæ in veteribus rebus conversati in novitatem spei vene-  
runt, non sabbatizantes, sed secundum Dominicam Vitam viven-  
tes &c. quomodo nos poterimus vivere sine illo, cuius & Prophetæ  
discipuli existentes spiritu ipsum ut Doctorem expectabant? Certo  
ergo ex his constare putat, haec omnia, quæ in hac Pericche,  
Ignatiana continentur directè Ebionem ferire.

## §. XVIII.

Non tamen hæc æque certa videntur Viro itidem Clas-  
sissimo & in Antiquitate Ecclesiastica versatissimo Georgio  
Bullo Presbytero Anglicano in Defens. Fidei Nicænæ, cùm  
Sect. 3. Th. 1. § 5. hoc Ignatii testimonium expendit. Dis-  
sentire se, licet modestè à Pearsonio, quem etiam à cavilla-  
tionibus Autoris, qui in ejus Vindicias Observationes scripsit,  
liberare conatur, profitetur & non Ebionitarum, sed Cerin-  
thianorum hæresin Ignatium explosam velle, asserit. Per-  
suasum habeo, inquit l. c. Ignatum in verbis allatis & in tota  
Pericche ad quam verba illa pertinent, neque Valentianos neque  
Ebionaos respicere; sed Judaizantes illos Gnosticos, quorum prin-  
ceps erat Cerinthus, (qui Valentino longè anterior adeo, ipsis Apo-  
stolis coœvus fuit, cuiusq; hæresis Ecclesiæ Asiaticæ Ignatii tem-  
poribus maximè turbavit) omnino perstringere. Quod ergo  
contextum Orationis attinet, id tanquam certum supponit  
Ignatium in hac Pericche notare hereticos, qui Judaismum  
professi sint, quod æquè in Ebionaos ac in Cerinthianos qua-  
dret: Coetera verò omnia aptius in Gnosticos seu Cerinthia-  
nos quadrare. Sic verba Ignatii, quibus paulò antè horta-  
tur, ut concurrant in unum JESUM Christum ab uno Patre exeun-  
tem & in unum existentem & revertentem, aperte hosce ferire.  
Cerinthianos enim non in unum JESUM Christum credidisse,  
sed alium esse JESUM, alium Christum docuisse. Neque eos-  
dem unum Patrem JESU Christi agnovisse. Sed JESU Patrem De-  
miur-

miurgum seu mundi fabricatorem, Christi superiorem potestatem  
 profesi sunt, ceu Irenaeus doctrinae eorundem curiosissimus  
 Explorator Lib. III. contra Hæres. cap. II. p. 230, observat di-  
 sertis verbis, que l. c. videantur. Deinde, cum mox ab  
 Ignatio V.T. Propheta dicuntur inspirati à Gratia Christi ad per-  
 suadendum incredulis, quod unus sit Deus qui manifestavit se  
 ipsum per Jesum Christum Filium ipsius, hic iterum Gnosticos  
 non obscurè perstringi: Nam illi omnes & soli docterunt,  
 alium esse Deum mundi Conditorem, alium Deum illum,  
 qui se per Christum Filium hominibus patefecit. Porro cum  
 Ignatius, postquam admonuerat, non sabbatizandum Christi-  
 anis, sed secundum Dominicam vivendum, in qua & vita nostra  
 ortae est per ipsum (Christum) & mortem ipsius, continuo sub-  
 jungit, quod quidam negant, non obscurè dicit Bullus, Judai-  
 zantes illos hæreticos notasse, utpote quicum errore suo de  
 necessaria Legis Mosaicæ observatione negabant veram  
 Christi Passionem & Mortem. Denique urget conclusio-  
 nem hujus Epistolæ, quâ Ignatius suos Magnesios præserva-  
 ri vult, ut non incident in hamos vanæ gloriae; quod apprimè  
 in Gnosticos præ aliis hæreticis xerodoξias studiosis & com-  
 mentis de Æonibus aliis hæreticis palmarum præripere affe-  
 stantibus, quadret; Sed certificantur in nativitate & passione &  
 resurrectione, facta in tempore Ducatus Pontii Pilati, que facta  
 sunt vere & firmiter à Jesu Christo ipso nostra; & ex hisce lique-  
 re putat eos, de quibus in antecedentibus Magnesios suos  
 præmonet Ignatius, non esse Ebionatos, sed Gnosticos, quippe  
 omnes Gnostici cujuscunque denominationis fuerint, ve-  
 ram Christi Nativitatem, Passionem & Resurrectionem  
 negasse, quanquam non omnes eadem ratione. Dubium ve-  
 ro quod moveri posset, qui Gnosticis conveniat Judaismus,  
 quem in hisce Hæreticis notat Ignatius, cum constet ex Hi-  
 storia

istoria Ecclesiastica hanc notam convenire non Gnosticis, sed Ebionæis & Nazaræis, ita solvit: Gnosticos & Cerinthianos eti revera Legem & ritus Judaicos non magni sacerent, adeoque de Legis Autore intus indigna sentirent, quamdiu tamen potentia Judæorum aliquatenus stetit indeq; gravissimæ Christianis persecutioes passim oborirentur, cum Judæis judaizasse, quò crucem effugerent. Epiphan. enim Hæres. XXVIII. Tom. I. p. iii & seq. Philastrum in Cerintho, & Augustinum de Hæresibus c. 8. Tom. VI. Oper. col. 15. disertè tradere Cerinthianos docuisse, circumcidì oportere & Legem Mosaicam observare, eti Epiphanius d. l, expressè notet, Cerinthum, cum Legem ipse coleret, Angelum tamen Judæorum seu Legislatorem adeò non adorasse, ut potius eum malum esse diceret & detestaretur, quanquam non ausus fuerit hoc palam docere & profiteri, quod postea Marcion fecit. Fuisse ergò Cerinthum ex iis, qui se Judæos mentiebantur, tales autem non erant, sed ex Synagoga Satanæ Apoc. II. 9. Et hosce Ignatium & in aliis Epistolis non obscurè notasse. Qvod attinet verò locum nostrum, verba illa ἵστην αὐτὸς λέγει τοῖς διδόντοις συγγελήσων dogma itidem Cerinthianorum perstringere ex hisce manifestum fieri putat laudatus Bullus I. c. §. 8. Qvod Cerinthus de productione τῷ λέγει proflus juxta cum Valentino senserit, ipsique in hæresi hac præiverit. Hoe ipsum probat ex disertissimo Irenæi testimonio, qui Lib. III. contra Hæres. c. ii. p. 257, ostensurus quomodo verba Johannis in Evangelii sui initio, figmenta Gnosticorum, Nicolaitarum in primis & Cerinthianorum confodiant, ita scribit: *Hanc fidem annuncians Johannes Domini Discipulus, volens per Evangelii annunciationem auferre eum, qui à Cerintho inseminatus erat hominibus errorem, & multò priùs ab his qui dicuntur Nicolaitæ, qui sunt vulto ejus que falso cognominatur scientia, ut confunderet*

deret eos, & suaderet eos, quoniam unus DEus, qui omnia fecit per Verbum suum, & non quemadmodum illi dicunt; Alterum, quidem fabricatorem, alium autem Patrem Domini, & alium quidem fabricatoris filium, alterum vero de superioribus Christum, quem & impassibilem perseverasse, descendente in Iesum Filum fabricatoris & iterum revolasse in suum pleroma, & initium quidem esse Monogeni; Logon autem verum Filium Unigenitus. Et eam conditionemque est secundum nos, non a primo DEo factam, sed a virtute aliqua valde deorsum subjecta, & absissa a beorum communicatione, que sunt invisibilia & innominabilia: Omnia igitur talia circumscribere volens Discipulus Domini & regulam Veritatis constitutere &c. sic inchoavit in ea que est secundum Evangelium doctrina: In principio erat Verbum &c. Hinc putat liquere consensum Cerinthianorum & Valentinianorum Bullus. Primo Cerinthiani non minus quam Valentiniani plures Virtutes, multa invisibilia & innominabilia h. e. multos Aeones inter primum DEum & Mundi fabricatorem statuerunt. Deinde utriusque pariter inter suos Aeonas τὸν λόγον numerarunt; Porro utriusque λόγον non ex primo DEO immediatè, sed a Monogene sive Nu derivarunt. Denique utriusque perinde τὰ λόγια aeternitatem negarunt. Si quis vero opponere vellet Bullo nullam tamen in Cerinthianorum dogmate fieri Sigesmentionem, de hac Sige altum esse silentium apud Ireneum? Huic obviat dicendo, hoc ipsum non difficile colligi ex Irenei adducto testimonio, in quo asserat Cerinthum ipsi Monogeni tribuere initium, adeoque juxta Cerinthum alium Aeonem seu Aeonas Monogenen praecessisse: Quinam vero illi Aeones, nisi Bythus & Sige? Deinde hunc ipsum locum Autoris Epistolæ ad Magnesios ad hoc probandum apud aequos arbitros sufficere. Si enim hisce verbis non stringit praeceps Valentianos, ut volunt, certe hinc sequitur docu-

isse alium Valentino antiquorem Logon à Sige prodissē.  
 Præterea Gnosticos æternitatēν τὸ λόγον negasse. Ergo se-  
 qui inde, quod statuerint DEum per infinita secula retrò silu-  
 ille, & silentium apud DEum fuisse ac tandem vocalem DEI  
 sermonem erupisse. Denique & Cerinthianos Bythum &  
 Sigen inter suos Æonas numerasse ex Gregorii Nazianz. Orat.  
 XXIII. Tom. I. Oper. p. 414. testimonio evidentissimè consta-  
 re putat. Verba Naz. hæc sunt: *Fuit quondam illud tempus, cum  
 ab heresim procellis tranquilla omnia habebamus, cum videlicet  
 Simones & Marctones & Valentini & Basilida & Cerdones, Cerin-  
 thi etiam & Carpocratis cum omnibus ipsorum nūgis & prestigiis,  
 postquam rerum omnium DEum per diuturnō tempore secūssent,  
 bellumque pro Bono adversus Creatorem gesissent, suomet, ut  
 æquum erat profundo, absorpti ac silentio traditi fuerant.* Scili-  
 et sicut Gregorius in immediate sequentibus Montano mal-  
 lum spiritum, Mani suas tenebras, Novato suam fidem puri-  
 tatem & Sabellio malam monarchiam, allusione factā ad ca-  
 put cuiuslibet hereseos: *Ita Simoni, Marctoni, Valentino,  
 Cerintho & reliquis in præcedenti sententia simul conjunctis  
 hereticis non minus appositè suum Bythum & Sigen assigna-  
 re benè colligit.* Ut ita nulla sit exceptio Autoris qui in Pe-  
 arsonii Vindicias observationes scripsit, quasi Gregorius so-  
 lū allusione factā ad Profundum & Silentium Valentini, ni-  
 hil aliud dicere voluerit, quām illas heresēs tandem ab aliis ab-  
 sorptas esse & evanuisse. Notanter enim dicit suomet profundo  
*absorptas & silentio traditas*, quæ allusio frustranea esset, si  
 dicti Hæretici cum Valentino suum Bythum & Sigen non ha-  
 buiissent. Nulla quoq; exceptio, quod Marcionem in horum  
 clasē ponat, qui tamē nihil de Bytho & Sige somniorit. Certis  
 enim documentis probat Bullus & Marcionem inter Gnosti-  
 cos

cos referendum , & cum Valentino Bythi Pleroma veneratum fuisse l. c. §. ii. & seqv.

§. XIX.

Hæc Criticorum de sensu Diœti hujus Ignatiani judicia exponenda & in confliœtu suo sistenda erant, ut liquidò constaret Argumentum illud, quod à violatione temporis Epistolarum Ignatii , rigidi & iniqui Censores deducunt & ex hoc loco solido destitui fundamento, & non deesse Viris Doctoris, quæ Blondelli & Dallæi , & eorum qui à partibus eorum stant, exceptionibus pro vindicanda autoritate hujus Diœti tanquam genuini Martyris & Apostolici Doctoris, opponant; Adeoque hæc omnia autoritatem hujus Diœti verè Apostolici non infringere. Nihil amplius addimus, quam unicum Eusebii locum, quem & Pearsonius & Bullus præprimis urgent, quo Lib. de Eccles. Theol. II cap. 9. p. 114. *Marcellum hereticum*, dicit, *supponere*, olim quidem fuisse DEum καὶ τινὰ νονχαῖς αὐτα τῷ θεῷ & quietem simul cum DEo, secundum ipsum illum impiorum Hereticorum δεχηνόν, qui impia dogmatizans, definivit inquietus, ἐν θεῷ καὶ Σιγῇ erat DEus & silentium. Quis verò hic impius hæreticorum Dux nisi Simon Magus, qui hoc nomine tūm ab Eusebio Lib. II. H. E. c. 13 tūm ab aliis antiquissimis PP. vocatur? Non ergo nova, sed vetus jam fuit hærefis, quam Ignatius hoc diœto ferit. Evidem Ignatius, nec Simonem Magum, nec Ebionem, nec Cerinthum, nec Valentinum nominatim perstringit, cum tamen hærefis eorundem confodiat hisce Verbis, quid aliud inde colligi potest, quam talia dogmata jam tūm ab hæreticis contra τὸ λόγον Αἰternitatem, quam Johannes asseruit in Evangelio suo, sparsa & in Ecclesia nota fuisse. Nos interim acquiescimus in gravissimo Cotelerii in Notis in h. l. judicio, quod ita sese habet. Respondent, dicit, Ignatiani varie , illis scilicet qui propter Sigen illam hanc

Ignatii Epistolam aut hoc comma pro suspecto habent, secundum diversas sententias. In prima sententia prolatus locus non debet assignari Ignatio, censeri debet additamenum esse cuiusdam Exscriptoris ad confodiendam Valentianam heresin, textui infartum. Ex secunda opinione respexit Ignatius ad Gnosticos Valentino antiquiores, à quibus commentum de Sige acceptum fuerit. Ex tertia petitur ipse Valentinus, qui vivente & sciente Ignatii non nullos jam seduxisset. Juxta ultimam denique sententiam, non hōc locō Σιγη Valentianam significat Sigen, sed simpliciter silentium. - - - Per primam nodus secatur non solvitur; Nec periculō caret ita gratis absque ullo fundamento hariolari. Secunda probabilis est: Constat enim ex Irenaei Lib. I. cap. 5. Tertull. de Praescript. c. 33. 46. 47. advers Valent. cap. 3. & 4. Epiphanius in multis locis, Philastrio, Augustino, Theodoreto &c. viam Valentino in erroribus suis atque aenibus patefecisse Gnosticos, Nicolaitas, Simonianos aliosque hereticos. Quidni autem ab illis mutuatus fuerit processionem Verbi à Sige: Causam certam non afferunt docti homines? Prorsit cum Veteres, qui de heresibus scripsierunt profiteantur à se non commemorari omnes primorum hereticorum nugas. Cumque Gregorius Nazianz. Orat. XXIII. ad cuius locum, vid. Elias Cretensis, Sigen quoque tribuat Simoni & Cerintho. Tertiæ responsei & sententie patrocinatur Victorinus & Autpertus in Apocalypsin, cum dicunt Valentiniū heresinsuam disseminasse vivente Johanne Apostolō. Nec obstat, quod nonnulli ex antiquis Valentianane luis exortum ad tempora Antonini Pii retulerint. Quippe hereticorum satis cognitus mos est, diu clam docere, ita ut tunc à quibusdam cognoscantur, ab aliis ignorentur. Ad centesimum ergo, inquires, circiter annum Valentinus vitam produxit, quem sub Eleutherio Papa vixisse adhuc testetur Tertullianus Lib de Praescript. c. 30. Ita sit: quid vetat? Quanquam Tertulliani verba hand dubiè errorem vel mendum continent. Superest ut de ultima

*ultima tamen sententia, quam responsione differamus. Videlur ea nobis omnium optima.* Rationes vid. supra §. XII.

§. XX.

Sic ergo vel ex hoc Dicto pii Martyris & Apostolici Doctrinis, Ignatii constare potest, quae fuerit prima & antiquissima Doctrina de Vera Christi Deitate, Aeternaque ex Patre Generatione; Doctrina in qua consistit nostra salus juxta effatum Christi Joh. XVII, 3. *Hec est Vita Eterna, ut cognoscant Te solum verum DEum, & quem misisti Iesum Christum:* Doctrina in qua fundata est Ecclesia, quae cum Petro ab initio & semper confessa est: *Tu es Christus, Filius DEi viventis.* Matth. XVI, 16. E contra Haereticos omnes qui quocunque modò salutarem hanc Doctrinam impugnarunt, fuisse ~~conuata~~ & ~~discrepans~~, quæ ipse ut blasphemarent Filio DEI aperuit, quos Deus per fideles suos Ministros & Defensores Aeternæ Veritatis increpavit. Quadrant in hac eorundem figura illa, quæ Irenæus Florino, qui DEO causam peccati adscribebat, scripsit apud Eusebium Lib. V. H. E. c. 19. *Ista dogmata, sane doctrina & sententia non sunt. Ista dogmata sunt Ecclesiæ repugnantia, utpote quæ eos, qui illis obsequuntur in maximam impietatem dejiciant.* - - - *Ista dogmata Presbyteri, qui ante eos fuerunt, quique erant ipsorum Apostolorum discipuli (ex quibus mox laudat Polycarpum, cui meritò jungimus Ignatium) minimè tibi tradiderunt.* - - *Idque ex epistolis (scilicet Polycarpi, addimus Ignatii) quas cùm ad vicinas Ecclesiæ, quò eas confirmaret, tūm ad quosdam fratres, quò eos tūm admoneret, tūm cohortaretur, misit, ista ita se habere, manifestè cognosci poterit.* Quare ad Aeternum Silentium imò ad profundum Orcum sive ad Bythus & Sigen omnis illa haereticorum Cohors, adversus Verbum Aeternum Patris blasphemias evomens, releganda erit, compellendaque Verbis Salvatoris, quibus

54

quibus mare contra Navem Apostolicam insurgens & fre-  
 mens cum Vento increpavit, Σιδηνα, πεφύμωσι Sile & obmutescit,  
 Marc. IV. 39. Discant & hodierni Ariomanitæ hinc suam  
 profapiam, hinc suos progenitores ac parentes agnoscant,  
 qui non secus ac illi eodemque spiritu Vertiginis impulsi, Fi-  
 lium à Patre disjungunt, nec Æternam ejus Generationem à  
 Patre solis quasi radiis scriptam, agnoscent, Verbumque Di-  
 vinum cum Humano confundunt & gloriam Unigeniti ex  
 Patre in creaturam transmutant, sicque quod Athanasius jam  
 in Antiquis Arianis notavit Orat. contra eosdem p. 515. Va-  
 lentini, addimus, Ebionis, Cerinthi, Simonis Patriarchæ Hæ-  
 reticorum, dogmata, ζηλώσαντες emulantes. Impietas ergo  
 corundem, ut ait idem ex justo zelo ib. p. 516. sit vobiscum in  
 perditionem. Sequantur illi suò periculō suos Duces, nos  
 Apostolicæ fidei firmiter inhærentes, Verbum Patris, quod  
 nullum præcessit Silentium, sed quod semper Patri coëxistit,  
 quodque ipsi Coæternum est, fuit & erit, unâ cum Patre &  
 Spiritu Sancto non in silentio sed sonora in Ecclesia laude ve-  
 neramur, & cum omnibus Angelis & Electis adorabi-  
 mus & glorificabimus in sempiterna secula

A M E N !




00 A 6445



3

5b.

R  
1017  
FL. 96.





12

**EXERCITATIO THEOLOGICA,**  
*De*  
**ΛΟΓΩ,**  
 Æterno & non à Silentio prodeunte,  
Ad Dictum  
 B. Ignatii Martyris Epistol. ad Magnesianos,  
Quam  
**DEO AUXILIANTE,**  
**RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,**  
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,  
**DOMINO FRIDERICO**  
**WILHELMO,**  
 REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS  
 BRANDENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.  
**VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ INDULTU**  
 In Regia Prussiae Academia  
 SUB PRÆSIDI  
**BERNHARDI VON SANDEN,**  
 SS. Theol. Doct. & Prof. Prim. h. t. Decani, nec non Concio-  
 natoris Aulici Primarii, Consist. Sambiens. Consiliarii,  
Placida Eruditorum censure exponit  
**JOHANNES SCHMIDH. B.**  
 SS. Theol. & Phil. Stud.  
 IN AUDITORIO MAJORI, H. C.  
 Anno MDCC IX. d. Decembr.  
 REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.